RECENSIO ET EXPLICATIO ARGVMENTORVM PRODVctorum libello Emendationis Temporum compendio factæ, cum additamento plurimum, quibus confirmatur paradoxa (vt vulgo habetur) sententia de annis Natiuitatis Baptismatis & Crucia-tus, adeoque vniuersi in terris ministerij Domini Iesu Christi.

INSERTIS BREVIBVS confutationibus contrariarum opinionum, Scaligeranæ, Baronianæque, pariter ac Iesuitica Ioannis Deckerij & Laurentij Sustyga, atque Ioannis Keppleri Cæsarei Mathematici.

Authore Thoma Lydyat Anglobritanno è Comitatu & Diœcesi Oxoniensi ac quondam è Societate Nouæ collegij Oxoniæ.

BODLEIANA

EXCVDEBAT ESAIAS LE PREVX.

CIↃ IↃ CXXIX.

Memoriæ Nobilissimi Serenissimique Principis Henrici, Spei magnę Britannię, fuæque post Deum Opt. Max. maximæ, immaturo fato functi:

Hanc confirmatoriam Appendicem compendiariæ Emendationis Temporum, ante quadriennium editę, inclytoque eius nomini inscriptæ, ac benignâ gratiâ Celsitudinis eius acceptæ,

Subsidio instructæ Bibliotheeæ ipsius, donatæque annuæ pensionis quadraginta marcarum, conscriptam ante annum, iamque denuò proditurientem in lucem,

Thomas Lydyat Celsitudinis illius alumnus mœrens meritò dedicat consecratque: xi. d. Decemb. Iul. vulgaris a. d. 1612.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

CHRONOGRAPHIAE *studium multis hodie vilescit, duas ob causas: partim quòd nihil admodum certi aut liquidò ac indubitatò & absque controversiâ veri inde elici posse videatur: partim quòd etiamsi vel maximè indubitatam veritatem assequi possent, curiosius tamē quàm vtilius censeatur. Ad prius obiectorum quod attinet, si id in solam Chronographiam caderet, vt de singulis aut plerisque eius partibus vulgare illud verbum meritò dici posset, Quot capita, tot sententiæ: vtilis sanè esset monitio, potius eiusmodi artibus & scientiis discendis ac docendis studium atque operam impendere, quarum spes esset veritatis ad liquidum inueniēdæ & demonstrandæ, quàm incumbendo ei cuius desperata & conclamata esset veritatis certitudo, operam atque oleum perdere, & immensam obiectionum perpetuò vrgentium molem, quam Sisyphi saxum, voluendo sudare, nec proficere filum. Verum idem ipsum prorsus*

in omnes artes & scientias intellectu naturali comprehensas vsque adeò competit, vt iam olim, post infinitas Philosophorum sectas apud Graecos & Latinos, quatuor autem celeberrimas, Academicorum Peripateticorũ Stoïcorum & Epicureorum, in omnibus ferè sibi inuicem dissentaneas & contrarias, denique exorta sint alia, nec ipsa sibi admodum consentanea, Pyrrhoniorum & Nouorum Academicorum & aliorum, Scepticorum &
h *Eclecticorum, id est, dubitantium de omnibus rebus & inhibentium assensum ab omnibus, quae contenderent nullius rei certam ac liquidam veritatem humano intellectu ac mente comprehendi vel percipi posse: eaque ipsa ita celebrez, vt doctissimo Romanorum seculo Marcus Cicero, ille eximius florum Oratorum modò, sed etiam Philosophorum Romanorum, Noua Academiae sectae se addixerit, eandemque non modò in libris Academicarum quaestionum Varroni doctissimo Romanorum habito & appellato approbandam susceperit, sed etiam in ceteris libris Philosophicis, vt, de Natura Deorum, de Diuinatione, de Fato, de Finibus bonorum & malorum, reliquisque compluribus à se editis, reipsa amplexatus sit. Et vt de nostro*

stro seculo loquar, ac tantùm summa genera præcipuarum artium & scientiarum attingam; quum omnium particularibus enumerandis dies imò annus me defecturus esset: quæ tandem pars est Iurisprudentiæ, Politicæ, Ethicæ, Medicinæ, Physiologiæ, Astronomiæ, reliquarum, in qua non infinitæ controuersiæ quotidie nascantur? quin imò in ipsis scientiis purè Mathematicis, quarum veritas censetur certissima & liquidissima omnium quæ cadunt sub intellectum naturalem, quot pseudotheoremata & pseudographemata contentiosa quotidie gignuntur: eaque non modò de conclusionibus nuper propositis, sed etiam olim demonstratis? Crimine ab vno discantur omnia. Quoties iam nostro seculo Archimedes, ille Mathematicorum pariter ac Mechanicorum corypsæus in quæstionem vocatus & reus actus est malè demonstratæ rationis peripseriæ circuli ad diametrum, minoris tripla sesquiseptima, maioris autem tripla super partiente decem septuagesimas primas? vt præteream Theologiam, quæ diuina scientiarum sub intellectum non nisi supernaturali cognitionis lumine illustratum, adque in hac vita ex parte tantùm cadens, non modò ab hominibus.

prorſus naturalibus qualis longè maxima pars, infinitis hæreſibus per omnes partes vexata, ſed etiam à ſupernaturali gratia plus minuſve præditis, haud paucis nec leuis momenti dubitationibus, quæſtionibus & obiectionibus per ſingulos ferè articulos agitata & diſceptata eſt. Iam ſiquis nullum Theologiæ dogma pro certo habendum, nullum Iuriſprudentiæ reſponſum, nullum Politicæ monitum aut Ethicæ ſtudiam, nullum Medicinæ conſilium aut Phyſiologiæ Placitum, nullum Aſtronomiæ obſeruatum aut reliquarum vllam rationem ſatis explorata veritatis eſſe exiſtimauerit, quo de aliquis dubiũ vel quæſtionẽ mouerit, aut ſi eò viliores & vaniores omnes illas artes & ſcientias eſſe cenſuerit, quod tot quæſtionib. & obiectionibus & controuerſiis obnoxiæ ſint: equidem hunc hominem neutiquam prohibuero quo minus etiam in Chronographia omnia pro controuerſis ideoque incertis habendo, eoque nomine ipſi eandem quam omnibus aliis artibus & ſcientiis, ne ipſa quidem ſacra Theologia excepta, vilitatis & vanitatis notam inuexdo, in eiuſmodi labyrinthum erroris impingat, vt nihil certum eſſe aut ſciri poſſe contendendo, ne id quidem quod nihil ſciri poſſit à ſe ſciri poſſe,

nec de

net de eo quod nihil certum esse possit se certum esse posse concedat, atque nihilo plus sapiendo, ne tantillum quidem sapiat vt se nihil sapere sentiat. Enimuero vnicuique arti & scientiæ sua constat & veritas & veritatis certitudo, quæ certis indiciis & argumentis vel necessariis paucioribus vel pluribus probabilibus, quamlibet deprehensu difficilis, à veris studiosis & sagacioribus ingeniis deprehendi possit: eademque rectis & perspicuis indiciis minus difficulter approbatur. depravatis autem & cecutientibus, quorum multo maior est numerus, ipsam non approbari mirum videri non debet. sicut enim meridianum solis iubar nihil ad visum confert capto oculis, ita ictherico siue arquato quanquam oculorum vsum habenti omnia apparent lutea, vitio scilicet hærente non in re oculis obiecta, sed in ipsis oculis. vnde fit vt in rebus quamlibet vel per se manifestis vel clarè demonstratis, non modò in Theologia aut Chronographia, sed in quacunque arte & scientia, omnium iudiciorum approbationem & assensum acquirere & adipisci, magis optandum quàm sperandum sit. Quocirca rectius contrà statuendum videatur, quanto vnaquæque ars aut artis pars maio-

ribus difficultatibus implicita sit, tãto maiorem laudem ac maius opera laborisque & studij pretium merere, qui eas explicare, etiamsi successus haud vsquequaque voto responderit, aggressus fuerit. Quandoquidem pulchra difficilia etiam prouerbio dicantur, ac omnium artium præstantissimæ vel maximis difficultatibus habeantur obnoxiæ.

Sunt tamen artes quædam curiosiores quã vtiliores: in quarum numerum multi Chronographiam referendam censent. Ego verò sicuti neque illud negauerim quasdam artes omnino curiosas esse ac inutiles, ita neque illud inficias iuerim multas etiam curiosas occurrere quæstiones in Chronographiâ: verũ vt hoc interim nihilominus asseuerem, neque id esse eius vitium, neque in ipsam solam cõpetere. Ecqua enim ars vel scientia est in qua non quotidie moueantur plurimæ quæstiones planè curiosæ & inutiles? an vel ipsa Sacra Theologia ab iis immunis est; imo an non omnium maximè iisdem contaminata: præsertim ex quo Scholasticorum Sophistica magis quàm Philosophia secularis ipsam, vt Tritthemius fertur alicubi locutus, sua curiositate inutili fœdare cœpit? Sed nimirùm

hac

hæc vtique luxuriantium & spinosorum ingeniorum vitia sunt, non ipsarum artium & scientiarum. Chronographia autem suam constare pariter vtilitatem certam ac dignitatem honestam & antiquam, etiam præterquam quod agnoscatur esse alter Historiæ illius Magistra vitæ oculus, satis ex si paucis iamdudum declarauimus, proœmio Tractatu de variis annorum formis: quum significarem ipsam in primis obuiam ire redarguendæ, tum Atheorum stultitiæ opinantium mundum nec à Deo olim definito temporis interuallo conditum fuisse, nec inde eiusdem prouidentia omnia euenta aptis tẽporum spatiis ac mensuris dispensantis gubernari, præsertim vero labefactantium auctoritatem Sacræ historiæ, collisione eius cum profana, adeoque partium ipsius inter se, siue rationis temporum subductione: tum etiam Antichristianorum apostasiæ conantium extemporum perturbatione superstitiosis & idololatricis ritibus acquirere antiquitatem & ex antiquitate auctoritatem: tũ denique Iudæorum pertinaciæ, vtpote negantium Christum adhuc in carne esse manifestatum, maxime ob perperam intellectum temporis eius manifestationi in Sacris prophetiis præfini-

tum. Ac sane duobus ex his nominibus solutio quæstionis quam impræsentiarum tractãdam suscepi, non modo apprime utilis est, sed etiam plane necessaria. Est enim quæstio de Natali Domini Christi in primis obnoxia cauillis Atheorum Sacræ historiæ veritatẽ calumniantium: quatenus, quum historia Euangelica Christum natum referat Herodis (scilicet primi eius nominis) regis Iudææ temporibus, si vulgaris supputatio annorum Domini ab eius natiuitate iam per annos ferè mille in Ecclesia præsertim Occidentali, auctore Dionysio Abbate Romano vsitata, conferatur cum historia Flauij Iosephi, qua solaarum quidem quæ extant, regna Herodis eiusque posterorum, ac res Iudaicæ eiusdem seculi plenius describuntur: videatur natale Christi post Herodis illius regis mortem, idque aliquot annis contigisse, siquidem Christi natale iuxta supputationem vulgarem contigit, mille sexcentis ac duodecim abhinc annis, sub initium Consulum Romæ Caij Iulij Cæsaris Vipsaniani & Lucij Æmilij Paulli, incidens in annum quartum Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ, at iuxta Iosephum Herodes creatus rex Caio Domitio Caluino secundum & Caio Asinio Pol-

Pollione consulibus, anno quarto Olympiadis centesimæ octogesimæ quartæ ad finē tendente, triginta septem annis postea mortuus est, subsestum Paschatis; id est, nuper incepto consulatu Lucij Cornelij Lētuli & Marci Valerij Messallæ, atque adhuc labente anno primo Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ: videlicet propè integro triennio ante Cæsaris Vipsanianj & Aemilij Paulli consulatū, cuius initio Calendis Ianuarijs Christum octauo die natiuitatis suæ circūcisum fert supputatio & opinio vulgò recepta: quū tamen antiquissimorum Patrum Christianorum sententia asserat natum fuisse Christum quadriennio ante mortem Herodis. Similiter autem magnum haud dubiè fomentū præbet non modò Arbitrorum stultitia, sed etiam Iudæorum pertinacia supra modum vexata quæstio de tempore manifestationis Christi in carne præfinito Sacris Prophetijs, præsertim verò celeberrimis illis Septuaginta Hebdomadibus Danielis, etiam ipsa tametsi longè nobilissima, per summam Diaboli astutiā ac vafritiem nimijs altercationibus & disceptationibus vtique fere in contemptū adducta & ludibrio exposita, cuius ego soluendæ, stidem iuxta antiquissimorum auctorum

Ecclesiasticorum interpretationem, fundamenta, feci libello de Emendatione temporũ, conuenientiam autem confirmandæ sententiæ nostræ de tempore manifestationis & totius ministerij Christi hoc tractatu declaraui, amplierẽ verò pro eius dignitate tractationem si opus fuerit deinceps Deo volente exhibere paratus sum. Perinde autem in his tractatibus Chronographicis atque in Cosmographicis, præsertim Astronomicæ prælectione ante septennium edita, qua Constitutionem siue Systema vniuersi adumbrare conatus sum, Sacram Scripturam tanquam Cynosuram perpetuo obtutu reflectendam mihi proposui, eamque non iuxta meæ priuatæ vel nuperæ aliorum, sed iuxta maxime antiquitus receptas præstantissimorum Theologorum & Ecclesiasticorum vtique auctorum expositiones vel apertis verbis expressas vel necessaria consequentia collectas. neque enim Theologiam naturalem aut supernaturalem, Sacrorum Bibliorum prætextu, ex meo vnius cerebro aut iudicio priuato comminisci instituo.

Cæterũ Cosmographiæ perinde ac Historiæ atque Linguarũ eruditionẽ cognitionẽ, præcipuæ Theologiæ ancillæ, adipiscendis & perfi-

perficiendis, opus esse peregrinatione, & doctissimorum virorum vntuscuiusque seculi, etiam Ethnicorum, inde à Thalete Philosophorum adeoque Astronomorum Græcorum, ac Herodoto Historicorum patre, ne plures nominem, praxis manifestè declarat, & ipse tum dictis tum scriptis profiteri nunquam dubitaui. quinetiam meipsum maiore quodam eius desiderio neglectis salutis & existimationis periculis teneri, & vel illam maxime ob causam cupiuisse me innotescere nobilissimo serenissimoque principi Henrico, vt eo commodiorem peregrinandi occasionē nanciscerer, alioqui certe secretiore aliquo in loco me in literas abdendi & latendi cupientior, significare ausus sum, tum altis, tū præcipue honoratis & illustrissimis viris, D. Thomæ Chalonero, Equiti aurato, Celsitudinis eius Camerario, & M. Adamo Neutono eiusdem serenissimi Principis Secretario, quos illi suapte indole propensissimo & alacerrimo ad promouenda omnium bonarum artium studia promptissimos consistentios esse nossem, & qui ipsius gratiam mihi conciliauerant: & quos propterea ipsorum honoris meæque gratitudinis testandæ ergò hic nomino. Sed visum est supremo Numini,

cuius aliæ sunt viæ & cogitationes supra nostras, vt alti sunt cœli supra terram, magnanimum Principem, in quo, post ipsum, mea omnes pariter ac plurimorum aliorum vniuersque adeò Britanniæ spes reposita erant, animo agitantem regna extera transferre ad superanos: nosque omnes Principe tantæ spei indignos tam seuero iudicio commonefacere vt deinceps nos digniores præbere studeamus superstite Phœnice Carolo succedente in fratris titulos, ac supplices precemur ipsum Deum Optimum Maximum, vt huic longæuitatem annuat & felicitatem, quo iuxta legem diuinam semen fratri suscitet, nomenque ei excitet, domumque eius exstruat, & præconcepta optimorum de illo spes non modò intermortua denuò viuificet, sed etiam auctas ad summum reipsa operetq; impleat, quod equidem vt summus ille Moderator vniuersi pro summa sua clementia & bonitate faxit, oro.

Causa insequentis Tractatus.

Finis Tractatus. RECEN-

RECENSIO ET EXPLICATIO ARGVMENTORVM PRODVctorum libello Emendationis Temporum compendio factæ, cum additamento plurium, quibus confirmatur paradoxa (vt vulgo habetur) sententia de annis Natiuitatis Baptismatis & Cruciatus, adeoque vniuersi in terris ministerii Domini Iesu Christi.

CAPVT I.

VT nobilissima quæstio de tempore natiuitatis & ministerij Domini Iesu Christi in terris, dextrè soluatur, in primis obseruandæ sunt temporum notationes à sacrosanctis Euangelicæ Historiæ scriptoribus adhibitæ, quæ quidem quod ad

ad natale ipsius attinet, sunt pręcipuè duę: altera natum esse Christum diebus Herodis illius regis Iudaeae: altera, eundem natum esse diebus descriptionis siue census aut censionis vniuersi orbis factae ex Caesaris Augusti edicto, & quidem primae praesidente Syriae Cyrenio.

Licet autem annus regni Herodis ab illis non sit definitus: manifestè tamen significatur haud multum antecessisse eius mortem, quia Christus etiam tunc puerulus (παιδίον) fuisse dicitur, quae vox propriè accepta significat incuitem ętatem ab infantia aut bimatu ad septennem. verùm quotquot ex Ecclesiasticis scriptoribus intra quingentos annos à principio Euangelij cum definiuisse comperiuntur, videntur definiuisse solido quadriennio ante mortem ipsius Herodis. Praecipuè verò Epiphani*, qui primo libro operis Panarij contra hęreses, capite de Christi aduentu & peregrinatione in carne, ita scribit: *In Bethlehem secundo natiuitatis suae anno conspectus & visitatus est à magis, à quibus adoratus est & dona accepit. & in eâdem nocte quum Ioseph responsum ab Angelo accepisset, in Aegyptũ assumptus est, illinque*

versus post duos annos reuersus est, mortuo Herode, quum successisset Archelaus, nam trigesimotertio anno Herodis quadragesimo secundo Augusti Cæsaris, nascitur Seruator noster in Bethlehem Iudæ. descendit autem in Aegyptū tricesimoquinto anno Herodis. redit autem ab Aegypto post mortem Herodis. quocirca in triginta & septē annis principatus ipsius Herodis, puer erat quatuor annorum: quando Herodes impletis annis triginta septem, vitā finiuit. Archelaus verò nouem annis regnat. in cuius regni principio egressus Ioseph de Aegypto una cū Maria & puero, quum audiuisset Archelaum regnare, secessit in partes Galilææ, & habitauit tunc in Nazareth. Archelaus autem genera(intelligendum, in principatu superstitem reliquit,) Herodem iunierem: & regnat Herodes nono anno patris (imo fratris) Archelai per successionem: quo tempore tredecim anni supputantur aduentus Christi in carnem. &c. Libro autem secundo, contra hæresim dictam dementium siue Brutorum, numero quinquagesimam primam, scribit ita: Matthæus quidem vbi recensuit quòd natus sit in Spiritu sancto, & quod conceptus sit sine semine viri, nihil de D

circumcisione dixit, neque quicquam ex his quæ facta sunt circa ipsum ante duos annos: sed exponit aduentum Magorum, velut attestiatur nobis vera Dei doctrina, interrogante Herode à magis tempus, & exquisiuit exorta stellæ, ac Magorum responsio, A duobus annis & infra, vt non sit hoc tempus de quo Lucas tractauit, verũ Lucas ante duos annos facta narrat. Matthæus verò vbi dixit natiuitatem, transiuit ad biennale tempus, & indicauit quæ facta sint post duos annos. quapropter & Herodes animaduertens hoc, postquam reuersi essent magi per aliam viam, putauit in multitudine puerorum etiã ipsum natum inuentum iri, & cum ipsis occisum iri. iussit enim omnes pueros in finibus Bethlehem occidi, à duobus annis & infra, vsque ad diem in quo Magi apud ipsum fuerant. hinc verò cui non appareat, quod quando venerunt Magi, duos annos puer natus erat? Et post pauca: Magorum aduentus contigit circa talem casum, ita vt non similiter fuerit tunc commoratio Mariæ & Ioseph, ei quæ apud Lucam propter descriptionem relata est, scilicet quòd non esset locus in diuersorio propter frequentiam. non enim inuenerunt Mariam in spelunca, vbi peperit,

sed

sed velut Euangelium habet, deducebat, inquit, ipsos stella vsque ad locum vbi erat puer, & ingressi in domum, inuenerunt puerum cũ Maria, non amplius in præsepi, non amplius in spelunca, sed in domo: vt cognosceretur veritatis certitudo, & tẽporis duorum annorum spatium, ex quo natus est, donec accesserunt Magi. & in illa nocte, post duos natiuitatis annos, visus est Iosepho Angelus, & dixit vt assumeret puerum & matrem in terrã Aegypti. quapropter non amplius reflectit Ioseph Nazarethã, sed aufugit cum puero & matre in Aegyptum, & alios duos annos istic transigit. & sic rursus Angelus post Herodis obitum reuerti iubet eundem in Iudæã. Tricesimotertio enim anno Herodis nascitur Christus Dominus. tricesimoquinto venerunt Magi. tricesimoseptimo mortuus est Herodes: & successit Archelaus filius ipsius in regnum, qui regnauit annis nouẽ: velut in aliis locis à me dictum est. Ita Epiphanius. Similia autem habet libro tertio, contra Antidicomarianitas, hæresim septuagesimam octauam.

Porro autem in Chronico Eusebiano natale Christi ponitur anno quadragesimosecundo Imperij Augusti, (cuius ini-

tium statuitur anno post cædem Iulij Cæsaris, consulatu Pansæ & Hirtij, iisque occisis, ipsius Augusti primo, anno primo vel secundo Olympiadis centesimæ octogesimæ quartæ,) at regni Herodis tricesimo secundo, tanquam ineunte, propemodùm sexēnio ante mortē ipsius, quasi qui regnū inierit āno tertio vel quarto Olympiadis centesimæ octogesimæ sextæ: sed hoc quidem contra mentem Eusebij, vt apparet ex verbis eius ad initium regni illius, videlicet his: *Nam vsque ad Herodē* (id est, ad id tempus quo *Herodes Antipatri filius à Romanis Iudæorum suscepit principatum*, vt liquet ex initio eiusdem pericopæ,) *Christi, id est, Sacerdotes, erant reges Iudæorum: qui imperare cœperunt sexagesimæ quintæ Olympiade*, (nimirùm ab anno eius primo, vt manifestum est ex verbis eiusdem Olympiadis initio adhibitis) *& ab instauratione Templi sub Dario*, (scilicet ab anno secundo Imperij Darij Hystaspis, ibidem, & præsertim in præfatione Chronici,) *vsque ad Hyrcanum* (nempe *extremum omnium à Parthis captum*, quod paulò inferiùs additur,) *& centesimā octogesimam sextam Olympiadem, annis*

qua-

quadringentis octoginta tribus in medio transactis: videlicet ineuntem. Quod etiam propè consequens est è receptis à Sosio & Herode Hierosolymis anno quarto Olympiadis præcedentis nempe centesimæ octogesimæ quintæ, mense eius tertio, solenni die ieiunij, captoque, & deinde interfecto, qui regnum Iudaicum Parthorum ope occupauerat, Antigono Aristobuli filio, Assamonęorum principum postremo; Marco Vipsanio Agrippa & Caninio Gallo consulibus, (quos insecuti sunt Gellius Poplicola & Cocceius Nerua,) iuxta Flauium Iosephum historicum, Antiquitatum Iudaicarum libro decimoquarto, in fine. Vnde apparet Eusebium in Chronico suo posuisse initium regni Herodis ad annum Imperij Cæsaris Augusti nonum vtpote congruentem consulatui alteri post illum Agrippæ & Caninij, nempe Lucij Cornificij & Sexti Pompeij, incidenti in annum primum Olympiadis centesimæ octogesimæ sextæ, & collato cum ipso iuxta vulgarem Græcorum rationem supputandi, indeque illi assignasse annos triginta septem: ideoque natali Christi ascripsisse tricesimũ quar-

tum annum regni eiusdem ineuntem, integro quadriennio ante ipsius mortem. Luxati autem situs annorum regni eius, in ipsius Chronici plerisque exemplaribus vestigia adhuc extant, quatenus etiam intra quinquennij interuallo, Antigoni occisi, atque Herodis post eum à Romanis constituti principis, mentio iniicitur. His autem de initio regni Herodis ita restituendo consentanea, quod ad secundum annum Darij attinet vnde cæterorum ratio dependet, habet idem Eusebius decimo libro Euangelicæ præparationis, capite tertio iuxta Latinam editionem, & octauo libro Euangelicæ demonstrationis demonstratione siue capite secundo: Hieronymi commentario in Danielis Hebdomades haud ita integrè relata, perinde ac duodecima Catecheseum editarum nomine Cyrilli Hierosolymitani: vt appareat vel ab iis mutationem factam esse Chronico, vel à Chronico ipsis. videtur nihilominùs Eusebius perperam confudisse, in illa demonstratione, Hyrcani captiuitatem cum ipsius cæde: sicut in Chronico, eiusdem captiuitatem cum Antigoni cæde. Verùm in eodem Chronico, an-

no

no quadragesimo quarto Augusti, refert etiam Eusebius, Herodem quum Christi natiuitatem Magorum indicio cognouisset, vniuersos in Bethlehem pueros iussisse interfici: nempe biennio post ipsius natiuitatem.

Neque verò huic Eusebij & Epiphanij sententiæ de tempore aduentus Magorum & fugæ Christi in Ægyptum refragatur, vt contendit Cæsar Baronius auctor Pontificius Annalium Ecclesiasticorum, vel mora ipsorum Magorum, quippe qui haud statim prima stellæ apparitione significationem eius intellexisse videantur: vel elogia Simeonis & Annæ de Iesu, quando parentes eum sisterent in Templo Hierosolymitano, tempore purgationis Mariæ, quasi quæ cuestigiò excitassent Herodem ad infanticidium, cum nulla in iis aperta mentio fiat de regno Christi: vel quod subiungit Lucas illos inde reuersos Nazaretham, quasi qui significarit ipsos id confestim fecisse, ac non demùm post fugam in Ægyptum, cuius, vt & aduentus Magorum historiam à Matthæo traditam, hic silentio prætermisit: quanquam Epiphanius concesserit statim re-

uersos esse Nazaretham, indeque semel aut iterum biennij spatio reuisisse Bethlehemem, eaque occasione Magos completo biennio illic eum inuenisse.

Præterea verò de Christi natali in eandem sententiam scribit Sulpicius Seuerus, Sacræ historię libro secundo, ita inquiens; *Sub hoc Herode, anno imperij eius tertio & tricesimo, Christus natus est, &c. Herodes post natiuitatem Domini regnauit annos quatuor. nam omne imperij eius tempus, septem & triginta anni fuerunt. Post quem Archelaus annis nouem. &c.* Sic ille. Neque plures intra quingentos Euangelij annos occurrunt, qui regni Herodis annum quo natus sit Christus definiuerint. Quapropter ex his apparet Christum natum esse solido quadriennio ante mortem ipsius Herodis.

CAPVT II.

IAM verò quum & Eusebius & Epiphanius & Sulpicius Iosepho historico cōsentiant de numero annorum regni Herodis, diligentius inquirendum est vnde eius

eius numeri initium petendum sit. Ac Iosephus quidem, Antiquitatum libro decimoquarto, capite vicesimo sexto, scribit Herodem, Antonij Triumviri studio, a Senatu Romano, regem Iudæorum appellatũ, regioq; fastigio potitum esse, Cneio Domitio Calvino secundum & Caio Asinio Pollione consulibus, Olympiade centesimã octogesimã quartã, scilicet definẽte. In fine autem eiusdem libri, vt suprà dictum est, eundem, receptis Hierosolymis captoq; & interfecto Antigono, regno ipso potitum esse, Marco Agrippa & Canino Gallo consulibus, Olympiade centesimã octogesimã quinta, nempe etiam anno eius quarto. Libro autem decimo septimo, capite decimo, & in fine primi libri de bello Iudaico, scribit illum mortuum esse, annis triginta quatuor post interfectum Antigonũ, ac triginta septem postquã rex à Romanis declaratus est. Sed si initium illorum triginta septem annorum statuatur consulatu Domitij secundo & Pollionis, finis competit consulatui Caluisij Sabini & Crispini Rufi cõpleto, ac inuẽti Cornelij Lẽtuli & Valerij Messallæ; id est, anno quadragesimo Imperij

Cæsaris Augusti, iuxta Chronicon Eusebianum. Eusebius vero in Chronico, vt etiam supra dictum est, initium triginta septem annorum petere videtur à cæde Antigoni, consulatu autem Cornificij & Pompeij incidente in annum primum Olympiadis centesimæ octogesimæ sextæ. Epiphanius quoque, memorato loco contra hæresim Dementium, conferens tricesimum tertium Herodis annum completum, cum initio quadragesimi secundi anni Imperij Cæsaris Augusti, pariter atq; cõsulatus ipsius decimi tertij & Plautij Silani, siue Siluani, quo Christi natale statuit, octauo idus siue sexto die Ianuarij, & ipse eatenus consentit Eusebio. Cæterum Sulpicius referens natale Domini ad tricesimum tertium annum regni Herodis, consulatum autem Sabini & Rufini siue Rufi, vtrumque desinentem, vt pote octauo calendas Ianuari, siue vicesimoquinto die Decembris; etiam ipse videtur petere eiusdem regni initium à receptis Hierosolymis, atque anno primo Olympiadis centesimæ octogesimæ sextæ, sed collato cum consulatu Gellij Poplicolæ & Cocceij Neruæ, in quem initium eius Olympiadis inci-

incidit, vtpote consulatu medio inter illũ Agrippæ & Caninij, quem Iosephus; ac illum alterum Cornificij & Pompeij quẽ Eusebij & Epiphanij rationes exhibent, anno autem Imperij Augusti quadragesimo primo à cæde Iulij Cæsaris.

Verumenimuerò complura argumenta haud parui momenti colligi possunt ex ipso Iosepho, quæ fidem faciant numerum illum triginta septem annorum regni Herodis ineundũ esse ab euẽtu aliquo posteriore quàm captis ab ipso Hierosolymis ac cęde Antigoni. Primũ ex annis ętatis eius, quando primam præfecturam adeptus, & quando mortuus est. Nam de morbo eius ingrauescente, quo haud ita multo posteà expirauit, Iosephus libro primo de bello Iudaico, initio postremi capitis, ita scribit; *Morbus autem ingrauescebat, quod eum senectus pariter ac mœror vrgeret: annos enim iam ferè septuaginta natus erat:* ἤνυμεν γὰρ ὅδε χρόδον ἐτῶν ἑβδομήκοντα. Antiquitatum autem libro decimoseptimo, capite octauo, ita; *Desperatâ deinde salute, quòd iam circiter septuaginta annorum esset:* καὶ γὰρ περὶ ἔτος ἑβδομηκοστὸν ἦν. Vnde cõstat Iosephi testimonio Herodem quando

mortuus est fuisse plusquàm sexaginta quinque annos natum, alioquin enim scripsisset potiùs, eum fuisse circiter sexaginta annorum, vel plusquam sexaginta annos natum.

Verùm de primâ Herodis præfectura, capite octauo primi libri de bello Iudaico idem scribit sic; *Antipater verò vbi de Syriâ Cæsarem prosecutus est,* (confecto scilicet à Iulio Cæsare bello Alexandrino in Ægypto, vt liquet ex fine capitis præcedẽtis, anno consulatus Caleni & Vatinij,) *in*
ἀε *Iudæam reuersus, &c. Phasalum quidem natu maximum filiorum suorum militibus præpositum, Hierosolymis eiusq; territorio præfecit: Herodem verò ætate proximum, nimisq; adolescentem,* (κομιδῆ νέον,) *Galilææ destinauit, similia curaturum, qui cùm naturâ strenuus esset, citò materiam vbi animi magnitudinem exerceret inuenit.* Antiquitatũ autem libro decimoquarto, initio capitis decimiseptimi, sic; *Antipater cum Hyrcanũ stupidum ac segnem animaduerteret, Pha-*
ἀε *salum è liberis suis natu maximum Hierosolymis & circumuicinæ regioni ducem constituit: Herodi secundo Galilæam curandam commisit, admodùm adolescenti, nec excedẽti an-*

ti annum quintumdecimum: [illegible] *Sed adolescentia illi nihil obfuit, quin quum esset adolescens generosâ indole præditus, occasionem confestim inuenerit, quomodo posset virtutem suam ostendere.* Hæc desumpta sunt ex Græcâ Iosephi editione Basiliensi, neq; verò ei mendum irrepsisse in numero annorum, tanquam non sed scriptũ esset, vt quidam videri volunt, arguit antiqua interpretatio Ruffini, ex veteri editione Parisiensi duodecentum abhinc annis factâ, quam suppeditauit mihi ex bibliotheca suâ venerabilis minister verbi diuini Gulielmus Crashauus, in quâ ita legitur, *Herodem Galilæa demonstrauit tutorem, adhuc omnino iuuenem. Nam quindecim annorum tunc erat. Cui nihil offuit iuuentus, dum prudentiam super ætatem haberet.* Idem quoque arguit eiusdem exemplar manuscriptum quatuordecim priorum librorum, ante trecentos plus minus annos, vt apparet, exaratum in Angliâ, iam penes doctissimum Isaacum Casaubonum, quod ita habet; *Et cum Antipater vidisset Hircanum tardum & segnem, priorem filium suum faselum ducem in Hierosolymis*

ordinauit: secundū verò Herodem Galilæa tutorem constituit, omnino adhuc iuuenem: nam quindecim annorum tunc erat. Cui nihil obfuit iuuentus, dum prudentiam super ætatem haberet. nam cum occasionem inuenisset, statim ad virtutis ostentationem prorupit. Item ad marginem: *Herodes 15 annorum fuit tutor Galilææ.* Idemq; arguit aliud manuscriptum ex Regiâ bibliotheca penes eundem, ita habens: *Sed cum tardum & segnem Hyrcanum vidisset: priorem filiū suum ducē in Hierosolymis ordinauit. secundum verò Herodē Galilæa tutorē demonstrauit, adhuc omnino iuuenem. Nam quindecim annorum tunc erat. Cui nihil obfuit iuuentus dum prudentiam super ætatem haberet. Qui cum occasionem inuenisset, statim ad virtutis ostensionem prorupit.* Porrò autem idem arguit bibliotheca Photij, cuius me commonefecit in Hibernia doctissimus mihiq; amicissimus Iacob⁹ Vshierus, Cancellarius e lis patricianæ, & Professor Theologiæ in nouo Collegio Academico Dublinij Hiberniæ, capite ducentesimo tricesimo octauo, in eclogâ Antiquitatum Iosephi: vbi hæc habentur verba; *Antipater posti deuictū (acie Pharsalicâ) Pompeiū, con-*

constitutus (à Iulio Cæsare) *præses Iudææ, &c. Herodem oppidò adolescentem, vtpote qui omnino quindecim ætatis annos haberet* ἡμίδη ἐνιαυτὸν ἔτεσι κομίδῃ, πεντεκαίδεκα γὰρ ἀπὸ ἀπὸ γενέσεως ἔτεσιν, *Galilæa præfectũ designat: nihilo per adolescentiã prohibitũ, quominus innatã virtutem ac generosã idolem ostenderet.* n
Denique idem manifestè arguit instituta deinceps à Iosepho narratio facinorum Herodis eâ ætate perpetratorum. Ecquid enim adeò memorabile narrasset, si vir viginti quinque annorum eadem fecisset?

Quid? quod sexennio posteà, circa finem consulatus Lepidi & Planci, quando Antonius, post bellum Philippense, occisis Bruto & Cassio, in Syriam veniens, *Phasalum & Herodem Tetrarchas constitutos Iudæorum rebus præfecit*, vt scribit Iosephus, Antiquitatum libro decimoquarto, capite vicesimo tertio, πάλαι ὁ κείνων ἔχων πρὸς αὐτὸς διὰ τὴν πατρῴαν ξενίαν &c. id est, Ruffino interprete, *cum eis familiaritatem habens propter paternã hospitalitatem*; Gelenio autem interprete, *qui iam antè familiariter diligebat iuuenes propter paternum hospitium, quo tempore cum Gabinio agens, patris eorum contraxerat amicitiam* (neu-

tiquam illius hospitij tempore familiaris ipsis, vt Laurentius Susslyga & Ioannes Kepplerus interpretantur;) nempe ante annos fermè quindecim, Herode tunc, (quid ni enim?) puero sexenni etiam tunc quando Tetrarchæ constituti sunt, Iosephus ambos appellat νεανίσκους, id est, *adolescentulos*, eodem capite? Vnde apparet ne maiorem quidem natu duorum, fuisse tunc multo plusquam viginti quinque annos natum, etsi memini nonnusquam appellatum per adolescentulum, qui vicesimum annum ageret: licet etiam Herodi nato vnum & viginti iam desponsata esset altera vxor Mariamne Hyrcani neptis, plus minus anno post ductam primam appellatam Dorem; secundum id quod scriptum est ab eodem Iosepho vicesimo primo capite eiusdem libri.

Quum igitur ita manifestè appareat ipsius Iosephi testimonio, Herodem tempore Pharsalicæ victoriæ & insecuti Alexandrini belli fuisse tantum modò quindecim annos natum, eumque mortuum esse prope septuagenarium, nempe vno, duobus, tribusue, aut summum quatuor vel quinque annis minorem: consequens est

est eum vixisse minimum quinquaginta annos ab initio eius anni quo cōsules fuerunt Calenus & Vatinius. Illi verò anni saltem quinquaginta, idemque sexaginta quinque ætatis Herodis, consummantur ad initium consulatus Aelij Cati & Sentij Saturnini, ac anni septimi post illum Sabini & Rufi, in quem eiusdem Iosephi calculus triginta septem annorum regni Herodis, illius mortem coniicit. Vnde consequens est eorum initium statuendum esse totidem vel pluribus annis posteaquam ipse statuit. Hunc autem erroris Iosephi in constituendo initio illorum annorum septem & triginta regni Herodis elenchū benè obseruauit Cæsar Baronius in Apparatu Annalium suorum. quod si obseruato & confirmato æquè benè vsus esset, veram & solidam ex eo laudem reportasset: sed eius occasione in definiendo anno regni Herodis quo natus sit Christus, ipse non minùs peccauit in alterum extremum, quàm quisquam alius in alterum. quantum enim deest cuiquam alij, verbi gratiâ Dionysio Abbati Romano, auctori vulgaris epochæ annorum Domini, conuenientis initio consulatus Caij Cæsaris &

Aemilij Paulli, atque anno mortis Herodis, idque putatis triginta septem annis regni eius, cum Sulpicio Seuero à consulatu Poplicolæ & Neruę, vel anno præcedēti mortem eius, putatis iisdem cum Eusebio & Epiphanio ab insequente consulatu Cornificij, & Pompeij: illo quarto, hoc quinto post consulatum Domiti, & Pollionis, vnde Iosephus eosdem putauit tantum adeoq; plus redundat Baronio residuorum annorum regni eiusdem post natale Christi, nempe integrum quadriennium alterum; vtpote qui Christum natum statuat, tantummodò vicesimo nono eius anno inchoato, mortuum autem ipsum Herodem demùm octo annis posteà, biennio seriùs quàm Chronicon Eusebianum quamuis corruptum referat.

CAP. 3.

Alterum argumentum erroris Iosephi in statuendo initio triginta septem annorum regni Herodis, ego colligo è tempore relegationis Archelai: cui ipse vndecimo Græcæ vel sexto Latinæ editionis capite secundi libri de bello Iudaico,

&

& secundum ipsum Eusebius in Chronico, necnon Epiphanius & Sulpitius, vt suprà significaui, nouennium Principatus post mortem Herodis patris eius tribuit, nempe completum, idem verò Antiquitatum libro decimo septimo, capite decimoquinto & postremo, atq; initio historiæ vitæ suæ, vt & Eusebius Ecclesiasticæ historiæ libro primo, capite decimo, decennium, scilicet inchoatum: quatenus ijsdem locis ambobus prioribus Iosephus diserte scribit, Archelaum ante exilium suum, contempto more patrio, repudiatâ priore coniuge, vxorem duxisse Glaphyram Archelai Cappadocum regis filiam, olim Alexandri fratris sui ab Herode patre interfecti coniugem, & liberorum ex eo susceptorum matrem, quæ postea iubæ Mauritaniæ regi nupta, eo quoque defuncto domum patris vidua redierat, ac dein de ab Archelao ducta, mox spectro Alexandri primi mariti se increpantis per somnium oblato, in Iudæâ diem mortis obiit. quam historiam libro secundo de bello Iudaico narrat Iosephus in hæc verba: *Dignum autem memoria duxi etiam coniugis Archelai Glaphyræ fortunam,*

Archelai filia Cappadocum regis referre quam quum Alexander prius habuisset uxorem, fratrem huius de quo loquimur, Herodis filium regis, a quo ille interfectus est, sicut iam diximus: post illius mortem Iubæ regi Libyæ nuptam, eoque defuncto, (reuerterat) domum reuersam, domiq. apud patrem in viduitate degentem Ethnarches Archelaus ubi conspexit, ad hoc amoris accensus est, vt eam statim repudiata coniuge sua Mariamne sibi copularet. hæc igitur breui tempore postquam in Iudæam venit, videre visa est super stantem sibi Alexandrum dicere: Satis fuerat tibi Libycum matrimonium, sed tu illo non contenta rursum ad meos penates reuerteris, auidissima viri tertij, & quod grauius est mei fratris iuncta matrimonio. equidem non dissimulabo contumeliam, seq. licet iniuriam recuperabo. Atq. hoc expositio somnio illa vix biduum superuixit. Postremo autem capite dicti libri Antiquitatum eandem historiam recenset Iosephus his verbis: *Simile quiddam & Glaphyra eius uxori accidit. Archelai regis filia hæc, vt iam diximus, virgo nupserat Alexandro Herodis filio fratri huius Archelai: quo necato a patre uerum nup-*

Iubæ regi Mauritaniæ. hoc quoque defuncto (μετάστασιν, id est, postquàm migrasset è vitâ siue vitam cum morte commutasset,) viduam in Cappadocia agentem apud patrem duxit Archelaus, repudiatâ Mariamne priore coniuge, tanto ardebat amore Glaphiræ. huic degenti cum Archelao tale somnium obuersatum est: visa sibi est Alexandrum venientem complexu excipere præ gaudio, illum verò expostulantem dicere: Confirmasti, Glaphyra, vulgare illud dictũ; non esse fidendum mulieribus: quæ virgo mihi coniuncta matrimonio, & communiũ liberorum parens, oblita nostri amoris capta es secundarum nuptiarũ desiderio: ac ne ea quidẽ contumelia contenta ausa es cũ tertio cubare sponso, turpiter & impudẽter ingressa meam familiam, & nupta Archelao, fratrẽ meũ habere maritũ sustinens. at ego non obliuiscar veteris tuæ beneuolentiæ, teq. liberabo ab hoc opprobrio, mihiq. te meam vindicabo. Hoc somniũ cũ illa exposuisset apud quasdã familiares sibi mulieres, post paucos dies vita fũcta est. Ex hâc duplice narratione eiusdem historiæ apud Iosephũ, constat duplice eiusdem testimonio, Iubam Mauritaniæ regem vitâ functum esse ante re-

legationem Archelai: vt pote qui adhuc Ethnarcha Iudææ, Glaphyram eius defuncti viduam è Cappadociâ vxorem domũ duxerit.

Atqui Strabo Geographhistoricus, qui eodem tempore vixit, & vt apparet, quinto anno Imperij Tiberij Cæsaris, Germanico Cæsare huius adoptiuo filio nondũ extincto, doctissimum illud Geographiæ volumen consummauit atq. edidit: in fine libri sexti liquidò affirmat, atq. etiam decimo septimo haud obscurè significat Iubam illum regem Mauritaniæ, Tiberio Imperij summâ potito, post Cæsaris Augusti mortem, fuisse adhuc superstitem. Librum enim sextum pariter ac Italiæ descriptionem huiusmodi epilogo concludit: *Quod si sermoni de Italia habito orationem conuenit subiungi quæ in summa etiam de Romanis differat, qui Italiam in potestatem suam redegerunt, arcemq; vniuersi Imperij constituerunt: hæc etiam addantur: Romani à condita vrbe per aliquot ætates sub regibus modestè vixerunt.* &c. postea: *Nunc verò cum Germanis bellum gerunt, ab his orsi locis quæ maximè ad ipsos censent pertinere. quin & iam*

iam nunc nonnullis Germanicis triumphis patriam exornarunt. at Africa partes quæ non fuerunt iuris Carthaginiensium, quibus concessa sunt Romanorum Imperio obedientibus: & siqui defecere, ij ditione omni sunt exuti. nunc autem Mauritaniam, aliasq. multas partes Africæ Iuba obtinet, ob studium in Romanos & amicitiam hoc consecutus. Ac posteà, postremis eiusdem epilogi ac libri verbis: *Etenim aliter gubernari tantam dominationem, quam uni tanquam patri commissam arduum est, proinde nunquam Romanis & eorum socijs tanta pax, omniumq. bonorum abundantia potuisset obtingere, quantam & Cæsar Augustus præbuit, postquam ad eũ solũ summa rerũ est delata: & nunc præstat filius eius & successor Tiberius, sicut & ipsũ imitantur patris administri filij Germanicus & Drusus.* Ita Strabo. videtur autem hæc scripsisse quarto anno Imperij Tiberij inchoato, intra semestre post Germanici de Germanis triumphum: cuius propè initio sequentis libri meminit. quinimo anteà sub finem libri quarti, quod scribit de Noricis & Tauriscis aliisq; Inalpinis populis, in hæc verba: *Horum omnium crebris*

incursionibus finē impositus Tiberius & eius frater Drusus vnica ætate; & nunc agitur annus tertius supra tricesimū, ex quo quiescentes tributū legitimē persoluunt: id conuenit anno quinto Imperij Tiberij, atq; consulatui Iunij Silani & Norbani Flacci, vt pote tricesimo tertio à consulatu Drusi Libonis & Caspurnij Pisonis, quo Dio Cassius, Romanæ historiæ libro quinquagesimo quarto, ea Tiberij & Drusi gesta refert. Sed nimirum illa Straboni descripto Alpium vna cum proximè præmissa descriptione insularum Britannicæ, Hiberniæ & Thules, videtur postremo ab ipso elaborata esse ad consummationem operis Geographici: ac deinde ei inter Galliæ & Italiæ descriptiones inserta, ordinis gratiā. Porro autem sub finem libri decimiseptimi & postremi in descriptione Mauritaniæ, mentionem regis Iubæ tāquā paulò antè mortui facit his verbis: *Non diu ante nostra tempora, Bogus & Bocchus reges, Romanorum amici, Mauritaniam tenuerunt: quibus mortuis Iuba successit, cum Cæsar Augustus ad paternum regnum etiam hoc illis addidisset, is Iuba filius fuit, eius qui contra diuum Cæsarem cum*

Sci-

Scipione bellum gessit, Iuba autem nuper vitâ functus est; Ἰόβας μὲν ὃν νεωστὶ ἐτελεύτα τὸν βίον. *ac successit in regno Ptolemæus, Antonij & Cleopatræ filia* (videlicet priore Iubæ vxore) *natus*. Item paulò posteà: *Post Syphacem Masinissa obtinuit regionem, posteà Micipsa*, deinde, *eius successores*: *nostra tempestate Iuba pater Iubæ nuper mortui*.

Quocirca vt ponamus Iubam mortuũ esse triennio ante consummatum atq; editum à Strabone volumen Geographiæ; ac fermè biennio antequàm ipse eius notitiam assecutus esset: (neq; enim videtur diutius eius ignarus esse potuisse, tametsi post diuturnas peregrinationes, demum in patria, id est, Amasiâ Põti ciuitate scribendæ historiæ & geographiæ ergo, in literas se penitus abdidisset; quum intereà vicinæ Cappadociæ rex Archelaus, Glaphyræ viduæ Iubæ pater, etiam ipse, Romam Tiberij artibus tractus, ibiq. mortuus esset, ac regnum eius in prouinciæ formam redactum, vt idem Strabo refert libro duodecimo:) apparet Iubæ mortem cõtigisse sub mediũ annũ secundũ Imperij Tiberij; & Archelai Ethnarchę Iudęę relegationẽ octimestri vel nouimestri posteà,

circa initium tertij anni eiusdem, quas autumno consulatus Statilij Tauri & Scribonij Libonis.

Atq. huic tempori relegationis Archelai apprimè conuenit, quod Cornelius Tacitus secundo Annali, proximè sequente consulatu Cælij Rufi & Pomponij Flacci, refert, *Prouincias Syriam & Iudeam fessas oneribus diminutionem tributi petisse*: sicut tēporè mortis Iubę, quod refert, *Eodem anno cœptum in Africa bellum, ductu hostium Tacfarinate Numida, qui Mauros accolas in bellum traxit*: & libro quarto Annalium, *Auctus Maurorum copijs, qui Ptolemæo Iubæ filio iuuenta incurioso, libertos regios & seruilia imperia* (nimirùm ipsius Iubę paulò antè mortui,) *bello mutauerant.*

Iam verò si statuatur relegatio Archelai autumno consulum Statilij Tauri & Scribonij Libonis, medio anno decimo Ethnarchiæ eius: ipsius initium ex morte patris Herodis conuenerit incunti veri Consulum Licinij Neruæ Silani & Metelli Cretici Silani, transacto post exactum consulatum Sabini & Rufi integro nouennio, quo triginta septem anni regni

Herodis, (ei competentes iuxta Ioſephi calculum,) expleti fuerint, eiuſque mors, & quidem inchoato vndeſeptuageſimo (id eſt, iuxta alium eiuſdem calculum, propè adeoque proximè ſeptuageſimo) anno ætatis ipſius contigerit: vnde ſcilicet conſequens fuerit, ipſius triginta ſeptem annorum regni initium, pariter integro nouennio poſt Caluini & Pollionis conſulatum, ducendum eſſe. Hic noſter eſt elenchus erroris Ioſephi in conſtituendis terminis triginta ſeptem annorum regni Herodis, à Baronio nō prorſus alius, ac neutiquam eo inferior.

Cæterùm quod ſcribit Dion ſub finem libri quinquageſimi quinti, Aemilio Lepido & Arruntio conſulibus, *Herodem Palæſtinum à fratribus accuſatum, trans Alpes fuiſſe relegatum, ac partem ditionis eius in publicum redactam*: id licet, quatenus vtique ex Ioſephi lacunis hauſtum, ex parte falſum ſit, aliquatenus tamen eundem illius errorem redarguere videtur. Etenim verum apparet, Herodem Palæſtinum, nempe Tetrarcham, cognomento Antipam, ſis conſulibus, poſt condemnatum Antipatrum ab Herode patre ſub mortem eius,

vt refert Iosephus primo libro de bell
Iudaico, in fine capitis penultimi, & de
mo septimo libro antiquitatum, initio c
pitis decimi, in prioribus tabulis tes
menti patris regni hæredem & succes
rē nominatū, ea occasione mox, illo mo
tuo, insequētib' Cōsulib'. Nerua & Met
lo, vt idē Iosephus in sequētibus refert,
regni successione cum fratre Archela
Romæ coram Cæsare Augusto mutuis a
cusationibus contendisse, & in eâ conten
tione superatum esse ab Archelao, ac ips
rum vtrumque priusquàm regium fas
gium quod ambirent assequi possent, a
cusatum à suis, trans Alpes demùm esse re
legatum. Enimuerò iuxta Iosephum, A
chelai accusatio iis tēporibus quibus He
rodes pater mortuus est, à fratribus, Her
de Antipâ præcipuè instigante, coram Cæ
sare Augusto Romæ instituta est, ac tam
valuit vt & dimidia parte regni in fratr
collata, nonnulla etiam Syriæ prouinc
contributa, atque Regis titulo frustrat
tur: sed eius relegatio ex accusatione à fu
ditis repetitâ, nouennio posteà contig
ipsius aurem Herodis Antipæ relegat
plusquam tricennio, ab Agrippâ fratris f
lio

lio. Quapropter Dion, vel errore, vel affectatione brevitatis in rebus minoris, vt ei videbantur, momenti, Herodis Palæstini & Archelai fratrum mutuas accusationes Romæ coram Cæsare Augusto peractas, cum eorum relegationibus coniunxit, quę tanto interuallo separatæ sunt: alioqui verò accusationum institutarum occasione condemnatio patri & mutatarum testamenti Herodis fabularum ~~iam~~ finem consulatus Lepidi & Aruntij, tempus videtur assignasse recte, & ad redarguendum errorem Iosephi, & confirmationem nostræ sententiæ. Præsertim quum ipse quoque eodem tempore Iubam regem adhuc superfuisse, posteà referat his verbis: *Gatuli Iubæ regi infesti, & iniquè ferentes simul cũ non Romanos sibi præesse, contra eum insurgentes finitimá vastarunt, multosque Romanos cum exercitu contra se profectos interfecerunt: denique adeo creuere viribus, vt propè ipsos subactos Cornelius Cossus triumphalibus honoribus & cognomento Gaetulici ornatus fuerit.* Quod autem Baronius & Scaliger, aliique, pro Herode, istic apud Dionem, Archelaum legendum putant: minus probabilis est nominum confusio:

Antip ante

quandoquidem Archelai relegatio de
mo anno Ethnarchiæ, ex morte Hero
iuxta Iosephum, medio demum consul
tui Neruæ & Metelli conueniat.

Cap. 4

Igitur si à consulatu Lepidi & Arrun
completo, ac Neruæ & Metelli ineu
relegantur illi septem & triginta reg
Herodis anni: eorum primus conuene
consulatui Cæsaris Octauiani tertio
Messallæ Coruini, quo anno idem Cæ
Octauianus posteà appellatus Augustu
deuictis nauali prælio Antonio Triumv
ro & Cleopatrâ Ægypti reginâ ad Actiu
Epiri promontorium, Imperij Roma
summâ solus potitus est.

Est autem operæ pretium attende
quid ipse Iosephus de rebus Herodis, ei
belli & victoriæ Cæsaris occasione scri
serit. Primo enim libro de bello Iudaico
capite decimoquinto (cui etiam in Lati
editione titulus est: *Herodes exaltatus
regnum*) scribit in hæc verba: *Mox autem
Herodem cepit desueta rerum sollicitud
propter amicitiam Antonij, post victoriæ*
Ca

Cæsaris apud Actium: veruntamen plus timoris præbebat ipse quam patiebatur. neq. enim Cæsar victum iudicabat Antonium donec Herodes cum eo supereſſet. itaq. rex periculis decreuit occurrere: Rhodumq. transmiſſus, vbi Cæsar eo tempore morabatur, adijt eum ſine diademate, veſte quidem cultuq. priuato, ſed ſpiritu regios gerens: neq. diſſimulata veritate coram eo ita locutus eſt: Ego quidem, Cæſar, rex Iudæorum factus ab Antonio, profiteor me vtilem fuiſſe Antonio regem, &c. una verò cum Antonio victus ſum, & diadema cum eius fortuna depoſui, ad te autem veni, ſpem ſalutis de virtute præſumens, & cupiens vt in examen adduceretur qualis amicus alicuius fuerim. Ad hæc Cæſar: Imo verò ſaluus eſto, inquit, & nunc regnato certius. nam meritus es qui plurimos regas, quum amicitiam tanta fide tueatis, &c. quare nunc quidem tibi decreto firmitatem regni præbeo. experiar autem ipſe quoque bene tibi aliquid facere, vt non deſideres Antonium. Ita comiter regem, ne quid de amicitia ſua dubitaret, affatus, diadema illi impoſuit, indultumq. regnum decreto conſignauit, in quo multa magnificè in eius laudem commemorauit, &c. poſtea ve-

rò ad Aegyptum euntem per Syriam Cæsarem Herodes cunctis accepit regni diuiti. Et quæ sequuntur.

Porro Antiquitatum libro decimoquinto, capite nono, idem Iosephus scribit hæc verba. *Sed Herodes dum maxime re suas constabilisse videretur, maximum discrimen adit, Antonio apud Actium deuicto armis Cæsaris. tum enim alium de se putauit, non ipse solus, sed & amici eius omnes & inimici. nemo enim credebat impune fore tantam Antonij amicitiam. quo factum est, vt amici quidem nihil dissimularent de perationem, inimici vero condolere se fingentes, clam gauderent, pollicentes sibi insturum meliorem statum reipublicæ. Ipse autem Herodes videns prater Hyrcanum neminem superesse regij generis, statuit eum emodo tollere, &c.* Deinde autem capite decimo. *Post hæc Herodes properauit Rhodum vt illic Cæsari occurreret. quo postquam appulit, diadema quidem deposuit, de cætera verò dignitate regia nihil remisit; admissusq. ad colloquium, tum maxime offendit animi magnitudinem: neq. ad supplicationes (vt in tali fortuna mos est) versus, neq. preces adhibens quasi rogando veniam, sed*

facti sui rationē reddens intrepide. Fatebatur enim apud Cæsarem, & amicitiam sibi intercessisse maximam cum Antonio, & totis viribus se conatum vt penes illum esset rerum imperiū. &c. His verbis quū magnā generositatē præ se ferret non mediocriter allexit Cæsarē, virū liberalem ac magnificū vt occasione dicendæ causæ paulatim insinuaret se in illius amicitiā. Quare diadema ei restituit: & hortatus ipsum vt non minùs suā quàm quondā Antonij amicitiā coleret, in tāmo honore habuit, addens scripsisse Capidium, quantum apud monarchas fauore Herodis adintus sit. Ergo vbi præter spem acceptum se vidit Cæsari, & regnū sibi firmius restitutum illius dono, atq; etiā Senatusconsulto per illū impetrato: deduxit ipsū in Aegyptum, donatū plurimis muneribus, quibus etiam amicos eius sibi concilianit, & animi sui magnitudinem declarauit. Hæc Iosephus.

Porrò autem Tacitus, Historiarum libro quinto, in eandem sententiam, inquit, *Regnum ab Antonio Herodi datum victor Augustus sanxit.* Multa verò Cæsarem Augustum innouasse eo tempore quoad statum regum Romano Imperio subditorum si-

gnificat Dion, propè initio libri quinquagesimi primi, his verbis. *Regulis ac regibus omnia oppida quæ ab Antonio acceperant,* exceptis Amyntâ & Archelao, abstulit. Philopatorem Tarcondimoti filium, & Lycomedem regnum in parte Cappadocici Ponti obtinentem, principatu spoliauit. Alexãdrum autem Iamblichi fratrem, non modò regno exuit, (quod præmium, propterea quòd ipsum accusasset, accepit,) *sed in triumpho quoque ductum occidit. Lycomedis ditionem, Medeo cuidam concessit, qui ante pugnam naualem Mysos Asianos ad deficiendum ab Antonio permouerat, eorumque operâ bellum Antonianis fecerat, &c.* Quæ quum ita se habeant, hinc nimirùm plusquam probabile fit, Herodem regni sui, quod tanquam Antonianus, iudicatus hostis Populi Romani, planè amiserat, Cæsaris dono denuò restituti, & Romani Senatus cõsulto illius ope impetrato de integrò confirmati, annos deinde ab hoc tempore in edictis & rescriptis suis aliisque publicis actis numerari consignarique voluisse.

Hist. 4.

Id autem eò magis cùm Herodes voluisse tum populus Iudaicus fecisse videatur

tur, quod etiam Hyrcanus, ad quem ius regni Iudaici pertinere vulgò crederetur, tunc demùm è medio sublatus esset. cuius rei narrationẽ Iosephus suprà memorato nono capite decimiquinti libri Antiquita tũ intertexit, his verbis. *Ipse autẽ Herodes videns præter Hyrcanũ neminẽ superesse regij generis statuit eũ è medio tollere: siue euasurus esset periculũ, tutius ratus neminẽ extare dignioré Imperio: siue opprimendus esset à Cæsare, successionem illi inuidens. Hæc secum volutanti, ab ipsius Hyrcani familia præbita est occasio: qui quod esset miti ingenio, toto vitæ suæ tempore nullis se admiscuit negotiis, omnia fortuna permittens, & quamcunque illa conditionem attulisset, ea benè contentus. Verùm Alexandra ambitiosa fœmina, & mutationis spem modestè ferre nesciens, sollicitauit patrem, ne vlterius ferret Herodem afflictorem suæ familiæ, sed potiùs sibi quoque caueret, seque sperata fortunæ seruaret. Consuluit deinde vt Malicho Arabiam ditione tenenti scriberet, peteretque ab eo tutelam & hospitium. si enim contingeret Herodem malè multari ab offenso Cæsare, dubio procul ad ipsum rediturum imperium, propter nobilitatem generis & fauorem*

populi. Talia suadentem Hyrcanus primò repulit: deinde victus importunitate mulieris, interdiu noctuq; eandem cantilenam de futurorum spe deque Herodis insidiis occinentis, ad Arabem literas dat amico cuidam Dositheo: in quibus scriptum erat, vt equites mitteret, qui eum ad Asphaltiten lacum deducerent. Distat is à Hierosolymitanis finibus per trecenta stadia. hæ literæ ideò Dositheo potissimùm creditæ sunt, quod & Hyrcani cliens erat & filia, & exosum ei Herodem non vna de causa videbatur verisimile. Nam Iosephi ab eo necati cognatus erat, & aliquanto anteà fratres eius apud Tyrum inter alios ab Antonio interfecti fuerant. nihilo tamen magis ob hæc Hyrcano fides seruata est. Pluris enim ille faciens præsentis regis gratiam, ostendit ei epistolam. qui actis ei gratijs, vnum etiamnum ab eo postulauit ministerium: vt complicata epistola & obsignata, Malicho eam redderet, & responsum ab illo reciperet. multum enim sua referre, si etiam illius mentẽ intelligat. quod vbi Dositheus sedulò executus erat, Arabs rescripsit, paratum se & ipsum & familiam suscipere, atque etiam omnes illius factionis Iudæos, missurumque instructam manum qua

eos

eos tuto deducere valeret, & voluntati eius obsecuturum per omnia. Postquam autem etiam hanc epistolam Herodes accepit, accito Hyrcano, rogauit eum, ecquid haberet cum Malicho fœderis? quo inficiante, prolatis in consistorio literis, occîdi eum imperauit. Atque hæc ita in ipsius Herodis cõmentariis scripta habentur. nã ab aliis traduntur aliter: videlicet non ob hoc crimen, sed quasi regi insidiatum, necatum esse. &c. Hic finis fuit Hyrcani, (cum iam octuagesimum ætatis annum excesserat,) post variam fortunam, qua tota vita circumactus est. Nam viuente etiam tum matre Alexandra, Pontifex Iudæorum creatus, per nouem annos eum honorem obtinuit: cui defuncta cum in regnum succesisset, eiapsis tribus mensibus, ab Aristobulo fratre pulsus est, ac deinde Pompeij ope restitutus, acceptisque omnibus honoribus, in iis egit annos quadraginta. (constat è penultimo capite vltimi libri Antiquitatum, legendum quatuor & viginti, τέσσαρα καὶ εἴκοσι pro τεσσαράκοντα, siue κδ' pro μ', pro quibus item perperàm legi quatuor & triginta, IV. & XXX. apud Sulpicium obseruauit Sigonius in commentario ad eum; quanquam Sulpicio eatenus

ſuffragatur Chronicon Euſebianum, ſed vt videtur, à Hieronymo interprete interpolatum.) *Iterùm verò ab Antigono pulſus, & mutilatus corpore, captiuus apud Parthos vixit. Vnde aliquanto pòſt domum reuerſus propter ſpes ab Herode oſtentatas, quamuis multa ſibi de illo polliceretur, nihil tamen eorum conſecutus eſt poſt tantam fortuna varietatem: & quod omnium eſt maximè miſerabile, vt modò dixi, in extrema ſenectute indigno fine abſumptus eſt.* Hactenus Ioſephus. Itaque ex his etiam colligere licet, Herodem neque ſibi neque populo Iudaico viſum regno in ſolidum & abſque controuerſia potiri, quamdiu Hyrcanus quondam rex ſiue ethnarcha etiam à Romanis conſtitutus, neque vllo iure vel iuris prætextu ab iis, ſed hoſtilib. Parthorum armis principatu depriuatus, ſuperſtes eſſet: ac proinde non eſſe mirum ſi regni Herodis annos & ipſe & populus ab Hyrcani morte pariter ac reſtituto confirmatoque ipſi regno denuò Cæſaris dono & Senatuſconſulto ſupputare inſtituerit.

Atque ita tandem euidenter apparet, illos triginta ſeptem annos quibus Herodem regnaſſe in confeſſo eſt apud omnes,

ab

ab Actiaca demùm victoria, Consulatu autem Cæsaris Octauiani tertio & Messallæ Coruini, numerandos esse: à qua putati totidem nempe consummantur, quemadmodum suprà inita est ratio, consulatu Licinij Neruæ Silani & Metelli Cretici Silani.

Cap. V.

QVin etiam in historia mortis Herodis Iosephus memorat insigne euentum, quo idem calculus noster liquidò confirmatur. namque Antiquitatum libro decimoseptimo, capite octauo, narrationē seditionis ortæ desperata Herodis salute: ob demolitionem aquilæ aureæ ab eo supra maiorem Templi portam dedicatæ, concludit his verbis.. *Herodes verò post multatum Matthiam summo Pontificatu, alterum Matthiam seditionis auctorem, eiusque socios viuos exussit. atque ea ipsa nocte Luna defecit. Regi autem morbus factus est grauior, pœnam impietatis exigente Numine.* &c. Capite autem vndecimo, post descriptum eius funus, ac funebre epulum ab Archelao præbitu m transacto

ſeptiduo, ad tempeſtatis anni declarationem hæc ſubiungit. *Interea Iudæorum quidam nouarum rerum cupidi, per conuenticula deflebant Matthiam ac ſocios, quos Herodes affecerat ſupplicio. hi quoniam metu coerciti non auſi fuerant luctu honorare aquilæ auream demolitores recens neci traditos, tunc cum clamoribus & eiulatu in deſanctum regem i actabant conuicia, quaſi in maiorum ſolatium: congregatique in vnum, in vindictam eorum ab Archelao depoſcebant ad pœnam quoſdã ex his qui chari Herodi fuerant: & ante omnia poſtulabãt ſummum ſacerdotium abrogari creato ab illo Pontifici, & ſubrogari hoc honore dignioremalium, &c. Quotquot feſtum inſtaret, quo patrium eſt Iudæis veſci azymis panibus,* (*Paſcha vocatur, monimentũ veteris ex Aegypto effugij, quo ſumma alacritate maiorem ſolito populus mactat victimarum numerum, & infinita turba, nonnullique etiam habitantes extra regionis termi nos confluũt religionis gratia,*) *ſeditioſi deplorantes Legis doctorum Iudæ ac Matthiæ neces, conglobati in templo permanebant.* His autem conſentanea ſcribit idem fine primi & initio ſecundi libri de bello Iudaico. Ex

quibus

quibus manifeſtum fit Herodem mortuũ eſſe paulò ante ſolenne Iudæorum feſtum Paſchatis, ſcilicet celebratum plenilunio menſis Abib ſiue Niſan, Syromacedonibus appellati Xanthici; ac proximè antecedente, nempe poſtremo anni Iudaici plenilunio, ſub mortem illius contigiſſe Lunæ eclipſin: cuius nimirùm ideò videtur Ioſephus feciſſe mentionem, quòd ſe obtulerit conſpectui populi adhuc tumultuantis ob exuſtos eodem die ab Herode demolitores aureæ aquilæ.

Iam verò equidem deprehendi, eodem anno atque eadem tempeſtate anni, nec ſolùm anni, ſed etiam diei, Lunam omnino atque haud breui mora defeciſſe, videlicet anno ſecundo Olympiadis centeſimę nonageſimæ ſextæ, ac triceſimo ſecundo quintæ periodi Calippi, plenilunio Dyſtri octaui menſis Syromacedonici, ſuprà memorato conſulatu Neruæ & Metelli, anno autem Iuliano quinquageſimo ſecundo, prima vigilia noctis inſecutæ viceſimum diem Februarij, qua tempeſtate, iuxta noſtras nouiluniorum & pleniluniorum tabulas, medium plenilunium contigit vna & viginti horis ac quinquaginta quinque

scrupulis sexagenariis transactis à præcedente primi diei septimanæ media nocte Hierosolymis. eodem autem plenilunio, iuxta tabulas Prutenicas, simplex anomalia æquinoctiorum fuit septem graduum & septemdecim scrupulorum, cuius prosthaphæresis circiter quadraginta nouem scrupula, addenda anomaliæ solis annuæ quater sexagenorum viginti vnius graduum ac vndecim scrupulorum; cuius illo additamento coæquatæ prosthaphæresis vnus grad⁹ ac circiter quinquaginta scrupula, item addenda æquali solis motui. vicissim verò Lunæ anomalia æqualis fuit quinquies sexagenorum triginta septem graduum & nouem scrupulorum, cuius prosthaphæresis vnus gradus ac circiter quadraginta septem scrupula, vtique addenda medio eius motui. Quumque hæ ambæ solis & lunæ prosthaphæreses sint proximè æquales: plenilunij veri tempus proximè congruit medio. Porro motus latitudinis Lunæ à boreo limite fuit quater sexagenorum viginti octo graduum & septem scrupulorum, scilicet proximè accedens ad nodum euehentem, ideoque latitudo Lunæ circiter decem tantummodo

scru-

scrupulorum decrescens ad nullam: quæ subducta de semidiametris lunę & vmbræ terrenę simul positis scrupulorum circiter sexaginta, residua facit quinquaginta scrupula, quibus ad integram Lunæ diametrũ positam trigintatrium scrupulorum, respondent plusquam octodecim digiti ecliptici, scrupula autem incidentiæ in tenebras plusquam triginta tria, ac dimidiæ moræ in tenebris ferè viginti sex. Vnde consequẽs est Lunam defeciſſe propè quatuor horis, cœpisse autem deficere fermè secunda hora noctis, ac penitùs obscuratam mansisse plusquàm dodrantem horæ. Nego autem ego vllam Lunæ eclipsim tantam pariter ac tam tempestiuè accommodatam historiæ Ioſephi de morte Herodis contigisse per decennium antè.

Verùm anno proximè sequente contigit alia non multò minor, vt pote digitorum fere sedecim, paulò post mediam noctem consecutam nonum diem Februarij septimanæ sextum. quod annotare visum est doctissimi Vshieri nostri gratiâ. is est qui ante biennium amantissimè inuitauit & deduxit me in Hiberniam: & cuius suauissimus conuictus biennium ibi per-

actum breue mihi reddidit. is, (namq. præter alia, etiam eadem mecum studia Chronologica apprimè coluit, & in quotidianis colloquijs de pluribus diligentiùs inquirendi occasionem mihi dedit) cum impertirem ei inuentum meum de tempore relegati Archelai post mortem Iubæ secundi mariti Glaphyræ, ex Strabone: (ac sanè periisset mihi magna pars lætitiæ de eiusmodi inuento, si defuisset alter idem in cuius sinum quàm primùm effunderem:) is, inquam, obiecit mihi ex fine quarti libri Strabonis locum illum suprà allegatum de Inalpinis populis à Tiberio & Druso deuictis, quo videri posset Iubâ Strabone auctore, (siquidem eundem ordinem in scribendis singulis libris & singulorum partibus obseruasset, qui in editis apparet,) ac proinde Herodem quoque mortuum fuisse etiam seriùs quàm ego libro meo de emendatione temporum statueram. ideoq. monuit vt subducto calculo indagarem annon anno in sequente eum quo ego Herodis mortem posueram, alia Lunæ eclipsis circa eandem tempestatem contigerit. alioqui verò si Strabo alium ordinem in scribendis ac in eden-

dendis libris librorumue partibus obseruasset, atq. priùs scriptis quædam posterius cogitata inseruisset: non videri adeò firmum argumentum meum, petitum è sexti libri fine, de Iubâ adhuc viuēte postquàm Tiberius rerum potitus esset. Ego autem respondi ferè in eandem sententiâ quā suprà exposui, quod ad integros tractatus, siue libros, siue librorū partes attinet, quibus tota aliqua regio aut historia describitur, videri earum nonnullas alio ordine in operis editione dispositas esse quā conscriptæ sunt, ac nominatim illam descriptionem Alpium sitorum in confinibus Galliæ Germaniæ & Italiæ. verùm id nihil derogare robori argumenti mei, Iubam adhuc viuum extitisse Tiberio iam summa rerum potito confirmantis è sexti libri epilogo, vt pote eadem pericopâ, quam nemo qui legerit dubitare potuerit (atq. eâ de re ipsius quoque iudicium appellaui,) totam eodem tempore atq. vno quasi spiritu perscriptam esse. cæterùm quod attinet ad eclipsim, etiamsi alia anno in sequente contigerit; neutiquàm tamen fieri potuisse, vt tanta ac tam tem-

pestiuè quàm illa à me assignata. me autem enixè laborasse, ac magnum quiddam in hoc genere effecisse, (id autem propè glorioſulus & iactabundus dixi,) quod tanto interuallo trans aliorum calculos Herodis mortem ſtabiliuerim: nec dubitare pleroſque ægrè ſubſcripturos tanto, ægrius autem longiori.

Neq; verò ab hâc ſententiâ dimoueri me patior, poſtquàm nupperrimè animaduerti etiam Euſebium, libro octauo Euangelicæ demonſtrationis demôſtratione ſecundâ, quam ſuprà quoque allegaui ſtatuere *initium regni Herodis, Hyrcano interfecto, & ex Senatus conſulto, ſimul cum initio monarchiæ Cæſaris Auguſti, ſecundùm quam tempeſtatem ſubingauerit Aegyptum & reliquum orbem habitabilem*, ſed *anno Imperij eius decimo quinto* malè aſſignato cum *Olympiade centeſimâ octogeſimâ ſextâ*; quũ Dion, initio libri quinquageſimi primi, diſertè teſtetur, *Cæſarem à die victoriæ nauali ad Actium monarchiâ potitum eſſe, Imperijq; eius recenſionem præciſe ab eâ ſumptam*: idémq, libro quinquageſimo ſexto, in morte eius ſcribat, *ipſum ſolum geſſiſſe ſummum Imperium à victoriâ apud Actium*

Actium, annos quadraginta quatuor, minus diebus tredecim. Incidit verò Actiaca victoria in annum à cæde Iulij Cæsaris decimum quartum quasi medium. Verum enimuerò rectè ibi loci fecit Eusebius, quod regni Herodis initium, vt dictum est, Hyrcano interfecto & ex Senatusconsulto, i Monarchiæ Augusti initio fecerit. eatenus enim nostram sententiam iam expositam etiam ipse suo calculo planè comprobat: quandoquidem tricesimus septimus ac postremus annus illius regni ab huius monarchiæ initio petitus, dicto consulatu Neruæ Silani & Metelli Silani, haud ita multo post Lunæ eclypsim à me declaratam consummetur. quo tametsi paulò anteà inchoato Herodes excessisset, quemadmodum Augustus tricesimo septimo anno suæ Tribunitiæ potestatis: nihil tamen inde nostro triginta septem annorum regni eius calculo deperiret. quinimo etiamsi Senatusconsultum pro confirmando regno Herodi, anno demum integro post Actiacam victoriam factum sit, nihilominus tamen eo ipso regnum eius ab Actiacâ victoriâ confirmari potuit: videlicet quatenus ipso omnia Hero-

dis acta in regno inde ab Actiacâ victoriâ (in quibus nimirùm erat vocatio in crimen maiestatis ac perpetrata cædes Hyrcani legitimi Principis, & restricta libertas Alexandræ illius filiæ, atq. huius filiæ Mariamnes vxoris suæ, ac mandata cædes ipsarum quoque nisi regnum sibi restitueretur,) comprobata & rata habita sunt.

Quid? quod etiã Epiphanius, loco suprà memorato contra hæresim Dementium, licet calculo item haud vsquequaque sibi consentiente, videtur referre initium regni Herodis ad idem tempus: quatenus scribit in hæc verba. *Nascitur enim Seruator quadragesimo secundo anno Augusti regis Romanorum: qui quidem erat coniunctionis Romanorum ad Iudæos annus vicesimus nonus. regnauit enim Augustus annis tredecim* (nimirum à consulatu Pansæ & Hirtij) *priusquàm Iudæi perfectè cum Romanis coniungerentur. erat autem & ex quo Augustus regnauit, post annos quatuor regni ipsius plus aut minus, amicitia quidẽ Romanorum ad Iudæos, & auxilium societatis bellicæ mittebatur: & partes tributorum in quinque annis* (*nempe alijs post illos quatuor*) *plus aut minus, donec perfectè tradita*

lita est Iudæa, & plenissimè sub tributum redacta: cum defecissent Principes ex Iuda, & Herodes ex Gentibus constitutus esset: proselytus tamen. Quod si perfectè tradita est Iudæa cum defecissent Principes ex Iuda, & Herodes alienigena constitutus esset, scilicet Princeps, idq. annis tredecim ab initio regni Augusti: vtique initium principatus Herodis conuenit in Actiacam victoriam, iuxta Epiphanium.

Denique etiam veteres Græci fasti simpliciter & absolutè referunt initium regni Herodis pariter ac eædem Hyrcani ad cōsulatum Octauiani Augusti quartum & Crassi, nempe quadrimestri haud ampliùs interuallo insequentem Actiacam victoriam: & quidem ad octauum annum Imperij ipsius Augusti numeratum à consulatu Claudij Pulchri & Norbani Flacci: indeq. censent Herodem regnasse annos triginta septem.

Quibus postremò accedit, quod Ruffinus antiquissimus interpres Iosephi, Antiquitatum libro decimo octauo, Philippo, Tetrarchæ ascribens annos triginta duos, significat pro τέσσαρα καὶ τριάκοντα in Græco exemplari potiùs legendum τρία καὶ τριάκοντα,

intelligendumq. vnum & trigẽnta tantummodo inchoatos. (etsi alioqui videatur ipse Iosephus errasse vtique in numero annorum Tetrarchiæ Philippi, occasione prioris erroris admissi in tempore mortis Herodis patris ipsius.) quorum annorum retro putatorum à vicesimo secundo iuxta eundem Ruffinum anno Imperij Tiberij, & quidem ante semestre completo, vernâ tempestate consulatus Proculi & Nigrini, quando ipse Tiberius mortuus est: (circa quod tempus etiam Philippum mortuum esse, ex toto contextu historiæ Iosephi, sexto capite eiusdem libri iuxta Græcam & recentiorem Latinam editionem, apparẽt, vt pote quo tempore Vitellius Syriæ præses Tiberij iussu renouauit fœdus cum Artabano rege Parthorum, reuerso in regnum autumno proximè præcedentium consulum Plautij & Papinij, veluti constat ex filo historiæ Taciti sub finem sexti libri Annalium:) initium itidem conuenerit ineunti vernæ tempestati consulatus Neruæ & Metelli: quando propterea etiam Herodem mortuum esse appareat.

Similiter autem, imo certiùs & definitiùs

tius Eusebius in Chronico, & Sulpicius Seuerus sacræ historiæ libro secundo, Herodi Tetrarchæ ascribunt annos viginti quatuor post relegationem Archelai: quum Iosephus, deciminoni libri Antiquitatum postremo capite, referat, Caiũ illius Tetrarchiam adieciſſe regno Agrippæ circa initium quarti anni Imperij sui, quando agebatur medius annus vicesimus quartus à completo Imperij Tiberij anno secundo: quâ tempestate proinde itidem consequens est relegatum fuisse Archelaum, medio anno decimo Ethnarchiæ suæ post mortem Herodis patris, videlicet defuncti ineunte vere dictorum consulum Neruæ & Metelli.

Sic igitur constituto tempore mortis Herodis regis illius, inchoato anno tricesimo septimo regni eiusdem ab Actiacâ victoriâ, pariter ac vndeseptuagesimo ætatis ipsius; inde iuxta sententiã Eusebij, Epithanij & Sulpitij qui soli ex veterib. scriptorib. Ecclesiasticis cõperiũtur definiuisse regni Herodis annũ quo natus sit Christus; consequens est eius natale fuisse circa vernam tempestatem consulatus Luci, Aelij Lamiæ & Marci Seruilij Gemini,

vt pote quadriennio ante Herodis mortem. Atq. hactenus de primâ notatione temporis natalis Christi, ab Euangelicæ historiæ scriptoribus Mathæo & Lucâ adhibitâ, nempe Herodis regno.

CAP. VI.

SEquitur deinceps altera notatio eiusdem temporis adhibita à Lucâ, videlicet census vniuersi orbis, Augusti edicto actus, primus præsidente Syriæ Cyrenio. Cæsarem Augustum tres omnino census (quos Græci ἀπογραφὰς id est ad verbũ descriptiones appellant) vniuersales totius Populi Romani, præter particulares Senatorij siue Patricij (qualis videtur ille cuius meminit Dion sub finem libri quinquagesimi quarti Iulo Antonio & Fabio Maximo consulibus) ac Equestris ordinis, egisse apparet ex Ancyrano eroso & semeso monumento rerum gestarum eius quo ipsius de se loquentis verba extant huiusmodi. *Iussu populi & Senatus Senatum ter legi. Et in cõsulatu sexto Censum populi cum lega. M. Agrippa egi: Lustrumq. (nempe censu peracto vt moris erat) post annum al-*

alterum & quadragesimum (videlicet ex quo proximè factum erat, vnde Sigonius, Onuphrius, Goltzius, & alij recentiores fastorum conditores, duo vel tria Lustra interea nullis satis idoneis auctoribus vel rationibus statuentes erroris conuincuntur,) *feci legi. quo lustro ciuium Romanorum censa sunt capita quadragiens centum millia & sexaginta tria*(scilicet millia,) *---cũ super Lustrum solus feci legi, censorum---Sitio cos. quo Lustro censa sunt ciuium Romanorum quadragiens centum millia & ducenta triginta tria* (vtique millia.) *in consulatu Fi---cum nupperrimè Lustrum cumleq; Tiberio, Sexto Pompeio & Sexto Apulcio cos. quo Lustro---Romæ capitum quadragiens centum mil.---igitur & septem mil. legi. quo---*&c. Itaque in illo monumento quamlibet eroso, clara mentio fit trium omnino Censuum totidemq. Lustrorum factorum à Cæsare Augusto. Idem autem confirmatur testimonio Suetonij Tranquilli in ipsius vitâ, fine capitis vicesimi septimi: vbi hęc eius habentur verba. *Recepit & morũ legũq. regimẽ aquè perpetuũ: quo iure quanquam sine censura honore, Censum tamen populi ter egit, primum ac tertium*

Y.f.

cum collegâ, medium solus.

Ac tertium quidem Lustrum cum cō didisse paucis diebus ante mortem suam collegâ Tiberio deinde Imperatore, ide Suetonius testatur nonagesimo septim capite eiusdem vitæ, & vicesimo prim vitæ Tiberij. paulò autem obscuriùs ei dem census mentionem infert Dion fi finem libri quinquagesimi sexti, consi latu Silij & Munatij Planci, proximo ante illum Pompeij & Apuleij, quo mortu est Augustus. Verum primicensus ab eo dem acti, confestim post sublatum Anto niū reliquū Triumuirū, Agrippa colleg suo quinto & Apuleij, sextoq. & Agrip secundo consulatibus, idē Dion satis cl ram mentionem facit fine libri quinqu gesimi secundi, & initio quinquagesim tertij. quorum locorum priore Cæsare tunc non quidem τιμητὴν id est Censorem quemadmodum Latina habet interpre tio, fuisse scribit, sed τιμητικὸν id est Ce sorio munere functum: alioquin enim fuisset subcontrarius non modò Suet nio, sed etiam sibi ipsi in sequentibus.

Sed de medio Augusti Censu quand vel quomodo actus sit, vel qualis omnin

fuer

fuerit,ambigitur. ego verò auctore eodē Dione,libro quinquagesimo quinto,quā-quam mutilato & mendoso, (esse autem Dionem ibi loci mutilum & corruptum, non modò ~~de alicuius effectus nomē~~ cō-sulatuum à cōepto Lælij Balbi & Antistij Veteris,aperte loquitur,& præcipuæ eius editiones iam pridem factæ Henrici Stephani & Ioannis Leunclauij,lacunis notatis,& hiatus loco repositis Xiphilini abreuiatoris verbis clare testantur, sed etiam alij historici antiquiores,Suetonius,Tacitus, præsertim verò Velleius,atq; recentior Zonaras,eâ parte Annalium, assecla, aut ex scriptor ferè Dionis, vt rectè obseruauit Lipsius in animaduersionibus ad ~~Lucretiā iā~~, collati prorsus euincunt:) arbitror,censum illum peractum & finitum fuisse consulatu Aelij Cati & Sentij Saturnini, vtpote proximè antecedente consulatum Valerij Messallę & Cornelij Cinnę. ibi enim post lacunas quibus intercidit historia fermè nouennij, vt dixi, hæc leguntur verba. *His per alios transactis,ipse recensionem (ἀποτρωρὰς) eorum qui in Italia habitarent, ac ad ducenta sestertia possiderent,iniuit.pauperiores enim, & eos qui extra*

defect. Nouen.

b

Velleius

tra Italiam habitarent, non coegit censeri, ἀπογράψασθαι, *quod vereretur nequid turbari darent. id ne Censor* (ὡς τιμητὴς) *facere videretur, cuius rei causa suprà est à me indicata,* (qui magis igitur primo Censu nomen Censoris accepisset?) *ad finem census* ἀπογραφῶν *& Lustrum siue Lustrale sacrum faciendum,* πρὸς τὴν τοῦ καθαρσίου πόνησιν, *proconsularem potestatem accepit.* Hinc apparet Cæsarem Augustum eo tempore, sine collega, non modò Censum egisse, sed etiam eo integrè peracto Lustrum condidisse: quãdoquidem multi Census Populi Romani acti fuerint, non condito Lustro, ob interuentum alicuius inopinati ac ominosi casus propter quem superstitiosè omissum fuerit, sed nunquàm conditum fuerit Lustrum, nisi prius Cẽsu totius Populi quàm maximè fieri potuit rite peracto & finito. quod etiam illo medio Augusti censu factum esse, vel ipse censitorum ciuium Romanorum numerus in publicas tabulas relatus & in monumento Ancyrano adhuc extans euidenter arguit.

Quod igitur apud Dionem legitur, Augustum non coegisse pauperiores & habitantes extra Italiam ad Censum, non videtur

detur ita intelligendum esse quasi nullum eo tempore Censum extra Italiam egit: sed quasi non tam ipsum Censum, qualis ad id tempus in vsu populi Romani fuerat, quàm eius obtentu quendam maioris momenti constantem & perpetuum reditum ex singulis Imperij Romani prouincijs concedendum sibi proposuerit: quemadmodum ipse Dion deinceps narrat. insequente enim consulatu Messallæ & Cinnæ ita scribit. *Alebantur eo tempore legiones vrbanæ viginti tres, aut quem alij numerum ponunt viginti quinque*, ac deinde post eas singulatim enumeratas, *Sub Augusto*, inquit, *istæ alebantur: ac præterea multa alia auxiliaria equitum peditumq. & classiariorum, quorum certus numerus mihi non constat: decies item mille prætoriani milites, in decem diuisi ordines: vrbis præsidiary ad sex millia, quadrifariam distributi: equites peregrini selecti &c.* Huc autem spectat quod Tacitus ferè initio quarti libri Annalium scribit in hæc verba. *Italiæ vtroque mari duæ classes. Misenum apud & Rauennam præsidium. Gallia littus rostratæ naues præsidebant, quas Actiaca victoria captas Augustus in oppidum Forum Iulij se*

miserat valido cum remige. &c. Item Suetonius quadragesimo nono capite vitæ Augusti. *Ex militaribus copijs legiones & auxilia prouinciatim distribuit. classem Misseni, & alteram Rauennæ, ad tutelam superi & inferi maris collocauit. &c. His de causis*, inquit porro Dion, *quum indigeret pecunia, Senatum consuluit de reditu quodam perpetuo constituendo, vnde citra vllius extra ordinem iniuriam molestiamq; abunde ordinarijs è reditibus stipendia ac præmia militibus sufficerent.* Et post paucula. *Deinde Marco Aemilio Lepido & Lucio Arruntio consulibus, quum nullus reditus excogitari posset quem omnes probarent, omnesq; exquæri indignarentur: Augustus pro se & Tiberio pecuniam in ærarium, cui militaris nomen indidit, intulit: eiusq; administrationem prætorijs tribus sorte lectis ad triennium mandauit. &c. itaq; illata pecunia ab ipso & interposito promisso id se quotannis sacrum: à regibus etiam & populis promissa summa quadam. Nam à priuatis, quamuis multi libenter collaturos eò pecuniam dicerent, nihil omnino accepit. Verùm quum hac pecunia sumptuum magnitudinem minima parte attingeret, ac per omnia copia esset opus. Sed*

tribus negotium dedit, vt pro se quisque aliquam rationem inueniret, eamq; in libello conscriptam ipsi traderet expendendam. id ita eò fiebat, quòd ipse nihil reperiret: sed vt eis persuaderet, quo hanc maximè viam, quam ipse probabat sequendam ducerent. cerè multis variè propositis, nulla earũ probata, instituit vt vigesima pars hæreditatum ac legatorum, exceptis ijs quæ proximè genere iunctis ac pauperibus morte aliorum relinquebantur, in ærarium militare inferretur: quasi scriptum in Cæsaris commentarijs id pensionis genus reperisset. fuerat enim iam antè etiam eius rei mentio illata, sed omissa rursum, tunc relatu est. Ita auctis reditibus, tres ex consularibus viros Augustus, quibus sors id officij obtulisset, ad sumptuum partionem contrahendos partim tollendos adhibuit. Hæc Romanis molesta fuerunt. &c.

Quod autem scribit Dion, fuisse iam antè illatam eius rei mentionem: Hubertus Goltzius, in Annali historia Imperatoris Cæsaris Augusti, tam ordinariarum illarum legionum per prouincias distributionem, quàm reditus institutionem refert consulatu Ælij Lamiæ & Seruilij Gemini, nempe proximè præcedente illum Ælii

Cati &Sentij Saturnini,quo medium Augusti Censum peractum esse ex Dione apparet. Ac sane quid ni Augustus medium censum suum occasionem eiusmodi reditui proponendo & instituendo fecerit, quum tertium &postremum eidem stabiliendo & confirmando adhibuerit? quemadmodum ipse quoque Dion, libro quinquagesimo sexto, Lucio Munatio & Caio Silio consulibus, penultimis Imperij Augusti,vt modò dixi,significat,videlicet ita scribens. *Quia verò vigesima pensio adeò omnibus fere molesta erat, vt videretur aliquid nouis motus excitatura: misso in Senatum libello, aliorum redituum excogitandorum negotium eis dedit: non vt abrogaret id tributi genus, sed vt nullum aliud vi probabilius ipsis inuenientibus,id ipsum vel ab inuitis,absque sua inuidia confirmaretur. ne verò si Germanicus Drususq; sententiam tulissent, eam suo iussu pronunciatam Senatus suspicaretur, ac indiscussam approbare, vetuit nequam sententiam ij dicerent. multis eam rem in Senatu Sermonibus agitata,nonnullisque etiam sibi per literas indicium, quum quiduis eos facilius quàm vigesimam toleraturos intelligeret: in agros & domus pensio-*

pensionem transtulit, ac confestim non ostẽso quantum aut quomodo pendendum cuilibet foret, alios alio dimisit qui priuatorum ac ciuitatũ facultates describerent, [illegible] vt quum singuli maiorem iacturam vererentur, mallent vigesimam pendere. idque eius consilium ita ipsa res probauit. Huiusmodi nimirum erat edictio tertij & postremi Census siue descriptionis Augusti, cuiusmodi nempe etiam edictionem secundi & medij fuisse apparet: quorum vtique ipse Dion neutrum pro ordinario Censu exposuerit, quia vterq; noua ratione ad Nominum professionem & bonorum æstimationem progrederetur, neutiquàm verò ad census pensionem antiquo & vsitato more perueniret. Huic autem non est dissentaneum quod alij existimant, Augustũ id tunc egisse vt Imperij rationarium cõficeret, vel potius corrigeret, (nam confectum quidem habuisse, ante annos viginti quatuor, ante ancipitem illum morbum suum consulatu ipsius vndecimo & Pisonis, ex Dione cõstat sub finẽ libri quinquagesimi tertij,) modò id eius propositum, institutumque censum totius orbis Romani siue vniuersorum subditorum

Romani Imperij neuiquàm diuersum tempore ab vniuersali censu ciuium Romanorum per omnes Imperij prouincias dispersorum existiment, vt Kepplerus putat: quum certè non sit verisimile, vel ipsum Augustum in illo monumento, vel Suetonium minùs celebrium ac memorabilij censuum meminisse, omnium verò celeberrimum ac maximè memorabilē silentio præteriisse. Verba autem quę è Cassiodoro citat Kepplerus ad distinctionem faciendam inter censum ciuium Romanorum & totius orbis Romani, planè confirmant nostram sententiam: nempe hæc. *Censu Romanorum ciuium primus Seruius inuenit, mox Augustus per orbem ampliauit.* Ecquid enim aliud velint hęc verba, quàm census, quos solorum ciuium Romanorum instituerat Seruius, eosdem Augustum fecisse communes ciuibus cum subditis totius Imperij; ideoque vtrorumque census simul peregisse?

CAP. VII.

PORro illum Augusti medium at primum extraordinarium Censum vni-

ver-

uersalem edictum fuisse dictis consulibus Ælio Lamia & Seruilio Gemino, quibus iuxta annos regni Herodis natale Christi conuenire suprà declaratum est, vel summùm præcedentibus Publio Vinicio & Publio Alfinio Varo: pluribus argumentis fit probabile. Primo ex analogia temporis collati cum cæterorum amborum temporibus, edictorum per iusta decenniorum interualla, quibus Augustus Imperium quasi de nouo resumere & redintegrare solitus esset. qua de re idem Dion, libro quinquagesimo tertio scribit in hæc verba. *Cæsar quò longiùs Romanos à suspicione regiæ potestatis sibi propositæ adduceret, imperium in suæ sortis prouincias decennale suscepit: intra quod tempus eas se redacturum in ordinem promittebat; hoc quoque iactantiâ quâdam iuuenili addito, quò breuiori spatio eas pacare posset, eo citiùs se has itidem Senatui redditurum, deinde vtriusq; generis prouincijs Senatores præfecit, Aegypto tantùm equestris dignitatis virũ. &c.* Aliquanto autem posteà. *Hæc omnia eo feri tempore ita sunt instituta. at reipsa Cæsar vnus in omnibus rebus plenum erat Imperium habiturus: quum & pecunias, (nam*

etsi suas ab ærario separatim habebat, tamen his quoque suo arbitrio vtebatur, & milites in sua haberet potestate. Et quum primum decennium eximisset, aliud quinquennium, atque eo circumacto, rursum aliud quinquennium, post decennium, ac eo finito aliud iterum decretum est, & quinquies id quidem ita vt continuatis decennijs per totam vitam Imperij summã obtinuerit. quam ob causam posteriores quoque Imperatores, etsi non certum tempus, sed per omne vita spatium is Imperium deferretur, tamen singulis decennijs festum pro eius renouatione agebant: quod hodie etiam fit. Hæc Dion.

Duplex autem præcipuè genus imperia renouatum per quinquennia & decennia idem refert: nempe Morum legumq; regimen, & Reipublicæ constituendæ potestatem: & quidem alterum vno anno post alterum: namq; id etiam cauisse videtur prudentia Cæsaris, ne ambo simul exirent, vt semper ex altero gradum faceret ad alterum. De vtroque autem idem Dion, libro quinquagesimo quarto scribit: ac de priore quidẽ aucto, Sentio Saturnino & Lucretio Vespillone consulibus sic. *Decretum ei est vt Magister morum per*

qui-

quinque annos esset, potestatemque Censoriã per id temporis, consularem verò quamdiu viueret, haberet: vt semper & vbique ei duo d. cim fasces præferrentur, ac in medio consulum semper sella curuli sederet. Hac quum decreuissent, (Senatus Populusq;) contenderunt ab eo vt emendaret omnia suo arbitrio, ac leges quas vellet ferret, isque Augustarũ nomen indiderunt, ac obtemperaturos vnanimiter illis velle se iuramento obstringere professi sunt. Quod autem Messalla & Sulpicio consulibus, idem scribit, *Secundum hæc Augustus in aliud quinquennium constitutus Magister correctorque morũ, (nam hoc quoque, vt & Imperium ad certum tempus accipiebat,) iussit vt Senatores quoties in curiam conuenire aut se accedere vellent, sufitum adolerent &c.* Fastorum ordinatores, vt Onuphrius &c. id ita intelligunt, non quasi tunc denuò constitutus sit, sed biennio anteà constitutus, Crasso & Lentulo Consulibus, eo iure posteà demùm illa sanxerit. De posteriore autem Imperij genere Dion paulò posteà scribit sic. *Cæterum Agrippam ad Imperium quodammodo Augustus prouexit. quum enim rempublicam exquisita videret cura indigere, insi-*

diasque ceu fieri solet in huiusmodi negotijs mutuaret, (contra quas sanè parùm præsidij sibi futurum putaret in exiguo thorace, quem frequenter etiam cum in Senatum ingrediebatur:) primùm in aliud quinquennium, suum sibi principatum prorogauit. quum iam decennium esset in exitu: deinde Agrippæ, cui alia ferè eadem quæ sibi tum Tribunitiam potestatem iisdem ad quinquennium dedit. tot enim ipsis annos tunc sufficere dicebat, quippe nonnullò post etiam plures Imperatoriæ potestatis annos accepit, vt rursum eius alij decem fierent. his actis Senatus delectum (siue examen ἐξετασμὸν) instituit: quod Senatorum vt magnus ei numerus videbatur, ita pleraque pars nullius erat, eius existimatione, pretij. Ita Dion.

Iam verò harum redintegratarum potestatum tempora, exacto decennij interuallo consequuntur, prius quidem coeptum agi, posterius autem peractum primi Augusti Censum Agrippâ collegâ: atq; hoc idem posterius iusto trium decennium siue tricennij interuallo antegreditur institutum postremum eiusdem Censum Tiberio collega, Silio & Munatio consulibus, quibus Augustus quintum

de

decennium Reipublicæ gubernationem resumpsit. quapropter apparet medium Censum, qui peractus sit Ælio & Sentio consulibus, integro item decennio ante peractum postremum Pompeio & Apulcio consulibus, coeptum esse agi vel Lamia & Seruilio consulibus, quibus Augustus in quartum decennium Reipublicæ constituendæ potestatem suscepit, itidem pari decennio ante coeptum agi postremum; vel quum primus extraordinarius Census fuerit, & fere triennium, anno diutius quam cæteri, durauerit, institutum esse summum Vinicio & Alfinio consulibus; quibus Augustus quartum in decennium recepit Morum legumq. regimen, vtique iusto trium decenniorum, siue triennij interuallo ab instituto primo eiusdem Census, se quintum & Apulcio consulibus; quibus idem regimen ab eodem primum acceptum, Suetonio & Dione auctoribus, statuunt, Sigonius, Onuphrius, Goltzius, aliiq. recentiores Fastorum ordinatores.

Præterea, quod in Ancyrano illo rerum Augusti gestarum indice, (vel Romæ exscripto, vel postea exsculpto, a Græco linguæ Latinæ prorsus imperito & negligē-

te, multisq. orthographiæ erratis obnoxio, vt peritissimorum antiquariorum eius interpretum fert sententia;] in secundo Censu legitur *Censorum--Sinio cos.* pauloq. pòst, *In consulatu Fi*---quorum prius ipsi legendum Censorino & Asinio consulibus nempe decimis ante consules Vinicium & Alfinium, quomodo huius nomē Onuphrius & alij peritissimi antiquarij scribunt, non Alphenum, vt nonnulli, posterius nihil istic significare prorsus, erratum lapicidæ esse existimant: de priore parùm probaliter pronunciant, quia apud Dionem, videlicet libro eius quinquagesimo quinto, cuius initio, præcedentis consulatus Drusi & Crispini, cum lacunâ perexiguâ, ipsius verò consulatus Censorini & Asinij, ac proximè sequentis Tiberij & Pisonis historia prorsus integra extat, nulla omnino apparet mentio aut significatio vel Lustri vel Census: cuius vtriusque peracti clara mentio fit in sequentibus post susceptum ab Augusto Imperium in quartum decennium, nempe memorato consulatu Aelij & Sentij, vt pote proximè præcedente illum Cinnæ & Messallæ. quem quidem Censum peractum

actum Lustro condito ex verbis Dionis illustrà illi numero trium Augusti Censuum vniuersalium excludere conantur, quum ne vmbra quidem alius æquè vniuersalis inter eiusdem primum & postremum, vel apud Dionem vel apud quenquam alium Augustæ historiæ auctorem occurrat. Quocirca verisimilius est pro *Sinio* legendum vel Alfinio, vel potius Sentio ac pro *Fi* demum quem illi pro conclamato habent, Alfinij aut Vinicij: vt hic sit vnus consulum quo coeptus agi, ille quo peractus sit idem Census: quum in his haud tanta sit discrepantia, quanta in quibusdam sequentium, vbi illi pro *Marco*, M. Crasso, & pro *Gantissimo*, C. Antilio substituere coguntur, atq. pro Q. Fabricio nesciunt quem substituant nisi substituendum existiment M. Plautium: vt ne aliorum generum in eodem monumento errata orthographica, magis portentosa ipsorum iudicio, attingam. Itaque vel ex his appareat, Augustum coepisse agere medium suum Censum Alfinio & Vinicio consulibus, quibus in quartum decennium recepit morum legumq. regimen cum potestate Censoria: quippe *quo iure*,

inquit Suetonius, Dione quoque astipulante, *Censum populi ter egit*, ac *medium* quidem nempe hunc de quo agitur, Aelio & Sentio consulibus peractum, *solus*.

CAP VIII.

CONuenit autem ille consulatus Vinicij & Alfinij anno vicesimo octauo completo à consulatu Cæsaris Octauiani septimo & Agrippæ tertio: quo Dion libro quinquagesimo tertio, & Censorinus capite vicesimo primo libri de die natali, ipsum Cæsarem Octauianum appellatum esse Augustum memorant. Dion quidem his verbis. *Quoniam autem multa omnino in seditionib⁹ ac bellis intestinis præsertim in Triumuiratu, iniuste & iniquè constituta fuerant: vnico edicto ea omnia antiquauit, sine ijs quæ abrogaret sexto suo consulatu posito. ob quæ cum esset in oculis omnium ac omnium laudibus afficeretur: animum adiecit ad ostendēdam nouam magnanimitatem, quò magis suus honor augeretur, & ad Imperium singulare sui vnius in republicâ volentibus ciuibus ne coacti videri possent stabiliendum. Itaque septimâ*

conſulatum gerens, quum ad id ſtudioſiſſimũ ſui quemque Senatorum ſibi comparaſſet, in Senatum venit, atq; hanc de ſcripto orationem recitauit. Poſteà autem. *Hæc quum Cæſar ita recitaſſet, mirè Senatorum animi affecti ſunt &c. Proinde quum frequenter etiam dicenti adhuc occlamaſſent, vbi peroranit, multis omnes eum verbis precati ſunt, vt ſolus Imperij ſummã gereret: omnibuſq; quibus id ei perſuaderent adductis argumẽtis tandem eò compulerunt, vt Principatum ſibi obtineret. tunc ſtatim futuris eius ſtipatoribus (ſiue ſatellitibus) quò accuratiorem nimirùm cuſtodiâ munitus eſſet, duplex eius quod reliquis militibus pẽdebatur ſtipendiũ vt daretur decretum eſt. Ita ſcilicet verè regnum deponere cupiebat.* Ac poſtea denique. *Cæſari quum orationem de eiurando regno ac diuidendis prouincijs habuiſſet, multi erant honores delati. &c. atq; demùm Auguſtus à Senatu populoq; appellatus eſt. etenim quum ſtatuiſſent peculiari eum quodam cognomento inſignire, ac alij alia referrent & probarent: Cæſar quanquam Romuli nomen vehementèr appetebat, tamen quum ſentiret hinc ſe ſuſpectum fore affectati regni: eo omiſſo, Auguſtus, quaſi hominis na-*

tur à amplior, (siue ampliore quàm humana natura maiestate praditi) ipse, cognominatus est. augusta enim ea quæ honore dignissima sanctissima (siue diuina) sunt, dicuntur: ideo Graci augustũ [illegible] interpretati sunt quasi venerandum dicas. Hoc pacto omne populi Senatusq, Imperium ad Augustum transiit ab eo q. absoluta (scilicet monarchia Imperatorum Romanorum initium accepit) &c.

Ita Dion. Censorinus autem sic. *Hic annus, cuius velut index & titulus quidam est Vlpij & Pontiani consulatus, &c. est eorum qui vocantur anni Augustorum, ducentesimus sexagesimus quintus, perinde ex Kalendis Ianuarijs, quamuis exante diem decimum sextum Kalendas Februarij, Imperator Cæsar diui filius, sententiâ Lucij Munatij Planci, a Senatu cæteriſq. ciuibus Augustus appellatus est, se septimum & Marco Vipsanio Agrippa tertium consulibus. sed Aegyptij, quod biennio ante in potestatem ditionemq. populi Romani venerunt, habent hunc Augustorum annum ducentesimum sexagesimum septimum.* Ex his satis apparet, confirmatum ac stabilitum esse Cæsari Octauiano Imperium singulare, collato in ipsum titulo maiestatis vt appellaretur Augustus, suo septimo & A-

grippæ tertio consulatu: indeq; Populum Romanum instituisse numerare annos appellatos Augustorum.

Quum igitur initio cōsulatus Vinicij & Alfinij consūmatus sit huiusmodi annus Imperatoris Augusti vicesimus octauus: videatur vtique huc spectare quod scribit Clemens Alexandrinus, vnus è vetustissimis scriptoribus Ecclesiasticis, primo Stromatheorum sermonum, in hęc verba Ἐγεννήθη δὲ ὁ κύριος ἡμῶν τῷ ὀγδόῳ καὶ εἰκοστῷ ἔτει, ὅτε πρῶτον ἐκέλευσαν ἀπογράφας γενέσθαι, ἐπὶ Αὐγούστου id est: *Natus verò est Dominus noster, octauo & vicesimo anno,* (nimirùm completo,) *quando primùm iusserunt descriptiones siue Census agi, Imperante Augusto.* Itemq; paulò pòst, Εἰσὶ δὲ οἱ περιεργότερον τῇ γενέσει τοῦ σωτῆρος ἡμῶν οὐ μόνον τὸ ἔτος, ἀλλὰ καὶ τὴν ἡμέραν προστιθέντες. ἐν φασὶν ἔτους καὶ Αὐγούστου ἐν πέμπτῃ παχὼν καὶ εἰκάδι. id est. Sunt autem qui curiosius natiuitati Seruatoris nostri non solùm *annum, sed etiam diem assignant: quam aiunt fuisse anno XXVIII. Augusti, vicesimâ quintâ die Pachon.* id est, vicesimâ die Maij. Tametsi enim ipse Clemens Alexandrinus, sicut secundum eum Eusebius, Ecclesiasticæ historiæ libro primo, capite sexto, videatur intellexisse annos Augustanos Aegyp-

tiorum, quorum principium fuit vno anno posterius Actiaca victoriâ: (neutiquam vero annos ab Actiaca victoria, atq; ex Scaligero repetit, sed plusquâ anni discrepantia ad suã opinionẽ ægerrimè torquet Keppler,) probabile tamen est id inde factum, quod primum illum Censum extraordinarium, in quem natiuitatem Domini Christi incidisse cognouerat, repererit edictum fuisse transactis viginti octo annis Augusti iuxta vulgarem Populi Romani calculum: quem ipse eundem cum calculo Alexandrinorum suorũ putauerit. Enimuerò velim ego vt sedulo perpẽdat lector nullã a Clemẽte fieri mẽtionẽ Actiacę victoriæ, verùm *vicesimi octaui anni Augusti* (nimirùm completi) *quãdo primum edictus fuit cẽsus* sub quo natus sit Christus. licet fortasse cẽsum quem veris annis Imperij Augusto confirmati Senatusconsulto, consignatum inuenerit, ipse ad annos Augustanos Aegyptiorum, anticipato biennio (quod tamen neq. Kepplero neq. Scaligero satis fuerit) retulerit: atq. ita ansam erroris Eusebio alijsq. dederit.

vt recentiores volunt,

Similiter autem Epiphanius, loco iam

sæpius

sepius allegato contra hæresim quinquagesimam primam, calculo licet in alium finem instituto, ad hoc ipsum tamen initium Census quo natus sit Christus, vt potè soluendo vicesimo nono anno Augusti attentum lectorem demùm deducit: ita enim scribit. *Deinde Christo nato in Bethlehem Judæa, & ad prædicationem progresso, vbi defecissent vncti præsides, qui duraverunt vsque ad Alexandrum præsidem & Saalinam quæ & Alexandra: hæc omnia perfecta sunt, initio accepto à natiuitate in Bethlehem, quadragesimo secundo anno totius regni Augusti. Erat enim* (ita rectè vertit Latinus interpres, quasi Græcè scriptum esset ἦν γὰρ, non ἐν γὰρ, vt exemplar impressum habet,) *nonus annus à præfecturâ Antipatri patris Herodis, quando amicitia erat Romanorum erga Iudæos, & partes donum, & quartus annus Herodis ab Augusto constituti. post quartum vero annum Herodis præfecturamq. quinque annorum plus aut minus Antipatri patris ipsius, de cætero tradita est Iudæa perfectè vsque ad trigesimum tertium annum Herodis & quadragesimum secundum annum Augusti: subjugataq. tota Iudæa, velut dixi, postquam i-*

psa viginti nouem annis tributum pendisset, & postquàm constitutus esset prefectus siue procurator Antipater Herodis pater, & post ipsum Herodes rex in Iudæa constitutus esset ab Augusto. Hæc autem facta sunt in consulatu Octauij Augusti decimotertio & Silani (Siluani) *consulis.* Hîc non videtur dubium, quin Epiphanius quidem voluerit tricesimum tertium annum regni Herodis, ac vicesimum nonum coniunctionis Romanorum ad Iudæos, quemadmodum scribit in proximè præcedentibus quæ suprà protuli sub finem disquisitionis de initio regni Herodis, terminari anno quadragesimo secundo Imperij Augusti, atq. consulatu eiusdē decimotertio ac Plautij Siluani, atq. natali Christi. sed ita ipse sibi non constat. nam, vt omittā quę inculcat de vnctis præsidibus durantibus vsq; ad Alexādrū & Alexā dram parētes Hyrcani & Aristobuli, haud satis cōsentanea ijs quę proximè anteà dixerat (nata procul dubio è duplice interpretatione vndeseptuaginta hebdomadū Danielis apud Eusebium suprà memorato octauo libro Euangelicæ demonstra-

strationis, demonstratione secunda,) de principibus ex Iuda deficientibus & Herode ex gentibus constituto, quando Iudæa perfectè tradita est post decimumtertium annum Imperij Augusti: quid sibi vult illud, quod ait, Iudæam perfectè tradam esse nono anno a præfectura Antipatri patris Herodis,& quidem post quinque annos præfecturæ illius, & quatuor annos regni huius constituti regis Iudææ ab Augusto? an enim Antipater constitutus est Iudææ præfectus octo & triginta annis ante decimumtertium Augusti consulatum: id est, Domitio & Pollione coss. at autem Herodes Iudææ rex cõstitutus est ab Augusto, quinquennio postea, triginta tribus ante dictum Augusti consulatum: id est, Cornificio & Pompeio cõsulibus? nequaquam. imò verò Antipater Herodis pater veneno extinctus est, Hirtio & Pansa consulibus, primo anno Imperij Augusti iuxta Epiphanium perinde ac Eusebium: vt pote Cassio Iulij Cæsaris perduelle adhuc versante in Syria, quemadmodum refert Iosephus, primo libro de bello Iudaico, capitibus nono & deci-

mo, ac decimoquarto libro Antiquitatum capitibus decimo nono & vicesimo. Herodes autem Iudææ rex ab Augusto constitutus est, demùm, post decimumtertiũ annum Imperij Augusti, videlicet postquàm defeciſſent principes ex Iudâ, id est, post interfectum Hyrcanum, non modò iuxta Iosephum, sed etiam Eusebium, atq; Epiphanium ipsum, vt iam dictum est. Quid igitur? nimirùm quod scribit Epiphanius, de coniunctione Romanorum ad Iudæos, siue Iudæis perfectè coniunctis cum Romanis, & Iudea perfectè tradita & pleniſſimè subtributum redacta, id conuenit exacto anno quarto postquàm defeciſſent principes ex Iuda, Hyrcano interfecto, & postquàm Herodes ex gentibus rex Iudææ constitutus est ab Augusto: id est, exacto quadriennio post Actiacam victoriam; nouennio autem, non quidem post constitutum præfectum Antipatrum sed post captum cum Hierosolymis à Sosio & Herode atq. interfectum Antigonum, Agrippa & Canidio consulibus: & denique exactis annis tredecim, neq. regni Augusti, sed ipsius Herodis, nempe postquàm ipse rex, neutiquàm verò Anti-

pater

pater præfectus, a Romanis primùm constitutus est dictis Domitio & Pollione consulibus, vt pote post annos quatuor regni ipsius Augusti, quemadmodum scribit idem ipse Epiphanius in præcedentibus.

Conuenit autem hoc tempus Iudææ perfectè traditæ & pleniſſimè ſub tributũ redactæ, ipſi fini primi Cenſus Cæſaris Octauiani, atq. initio primi anni ipſius appellati Auguſti. Ad quod ipſum tempus etiam ſpectant quæ Ioſephus de regno Herodis magna acceſſione trium regionum aucto ab Auguſto, ſcribit, libro primo de bello Iudaico, ſub finem capitis decimiquinti, in hæc verba. *Pro his denique meritis parum eſſe Herodi regnum tam Cæſar quàm exercitus* (nempe honorificentiſſimè ab eo deducti in Aegyptum) *exiſtimabant. ideoq. poſtquam venit in Aegyptũ, iam Cleopatra & Antonio mortuis, non ſolum ceteros eius honores auxit, verùm etiam regno partem finium addidit, quam Cleopatra dempſerat, & præterea Gadara, Hippon, Samariam, maritimarumq. inſuper ciuitatum, Gazam, & Anthedonem, & Ioppam, & Pyrgon Stratonis: & ad hæc ſatellites*

Gallos quadringentos ei donauit, quos antè Cleopatra stipatores habebat. nulla autem res magis liberalitatem Cæsaris incitabat quam magnus animus accipientis. Post primam vero Actiada, (nempe actam initio Olympiadis centesimæ octogesimæ octauæ, ipso Cæsare sextum & Agrippa secundum consulibus, quibus primus illius Cæsus peractus est, auctore Dione, initio librorum quinquagesimi primi ac tertij) *etiam regionem quæ Trachon vocatur eius ditioni subdidit, eiq. continentem Batanam, itemq. Auranitin, ex huiusmodi causa. Zenodorus qui domus Lysaniæ conductor erat, non cessauit vnquam ex regione dicta Trachone latrones Damascenis immittere. illi autè ad Varum siue Varronè tunc Syriæ præsidè cõfugerũt, eũq. deprecati sunt quo suas miserias Cæsari declararet. Cæsar autem his cognitis ei rescripserat, latrocinium penitus curaret extinguere. Varro autem milite aggressus loca suspecta, expurgauit latronibus terram, ipsamq. Zenodoro abstulit: quam Cæsar ne latronum denuò contra Damascum receptaculum fieret, Herodi dedit. Similia verò his refert idem Iosephus, Antiquitatum libro decimo quinto, aliquanto post initio*

Pl.

initia capitum vndecimi ac decimitertij.

Itaque apparet hoc fuisse tẽpus illud quod Epiphanius vndecunque acceptum haud plenè perceptum assignare voluerat, a quo quum ante ipsum fuisset amicitia quidem Romanorum ad Iudaeos, & partes tributorũ, & partes donorum: deinceps non modò confirmato sed etiam aucto Herodis regno in tantum, quantum fere vnquàm fuerat Iudaicum aut Israeliticum, (namq; tres illæ regiones Galaaditica pertinebant olim ad tribu Israeliticas trans Iordanem,) Iudæi perfide coniuncti sunt cum Romanis, & Iudæa perfectè tradita, totaq; quanta fuerit vnquam subiugata Herodi per Romanos & Romanis per Herodem, atq, plenissimè sub tributum redacta: atq; id tributum ipsa Romanis pendit inde viginti nouem annis, videlicet à peracto primo, vsque ad exceptum agi medium & potissimum Augusti Censum quo natus est Christus neutiquàm Augusti decimotertio & Silani, id est, Siluani cõsulatu, vt longè vitiosissimus apud Epiphanium catalogus consulum præfert, neq; proximè præcedente vt Cardinalis Baronij & Scaligeri rationes postulãt, nedum tertio antecedente vt Sussly-

ga & Kepplerus modò sciscunt verùm ter. tio sequente Vinicij & Alfinij vt nostra fert sententia. Etenimuerò annus vicesimus nonus, putatus à fine primi Census Cæsaris Octauiani, ac initio primi anni ipsius appellati Augusti, pariterq. ad summum aucti regni Herodis, ill. inquàm annus vicesimus nonus conuenit consulatui Vinicij, & Alfinij: quo etiam propterea demùm apparet medium & præcipuum Augusti Censum institutum esse. Neq. minùs verisimile fuerit secundum Augusti censum protractum esse vsque ad tertium consulatum: quum primus census ipsius, consulatus duos continuos, nempe quintum & sextum occupauerit, ac tertius quoque paulo minus, coeptus enim Munatio & Silio consulibus, vt apparet item ex Dione, vix peractus est Lustro condito tenus ante mortem ipsius Augusti.

CAP. IX.

PORro autem similis ratio est ferè eorú qui Christum natum statuunt anno quadragesimo primo Imperij Augusti. Irenæus quidem Lugdunensis in Galliâ episco-

piscopus antiquissimus & eruditissimus, libro tertio contra hæreses, capite vicesimoquinto, id absolutè scribit his verbis. *Natus est ergo Dominus noster, circa primum & quadragesimum annum Augusti Imperij.* At Tertullianus Carthaginiensis Presbyter in Africâ, & ipse auctor antiquior Eusebio, libro aduersus Iudæos capite octauo, scribit in hunc modũ. *Cleopatra coregnauit Augusto annis tredecim, post Cleopatram Augustus, alijs annis quadraginta tribus imperauit. nam omnes anni Imperij Augusti fuerunt numero quinquaginta sex. videmus autem quoniam quadragesimo & primo anno Imperij Augusti, quo post mortem Cleopatræ imperauit, nascitur Christus. & superuixit idem Augustus, ex quo nascitur Christus, annis quindecim. & erũt reliqua tempora annorum in diem natiuitatis Christi, & in annum Augusti quadragesimum primum, post mortem Cleopatræ,* &c. Hæc Tertullianus: quæ totidem ferè verbis repetit Hieronymus, commentario in nonum caput Danielis. Idem verò Hieronymus, commentario in illa verba secundi capitis Esaiæ, *Non leuabit gens contra gentem gladium* &c. sic scribit. *Veteres re-*

uoluamus historias: & inueniemus vsque ad vicesimum octauum annum Cæsaris Augusti, cuius quadragesimo primo anno Christus natus est in Iudæa, in toto orbe terrarum fuisse discordiam, & singulas nationes contra vicinas gentes arsisse studio prœliandi: ita vt caderent & caderentur. orto autem Domino Saluatore, quando sub præside Syria Cyrino prima est in orbe terrarum facta descriptio, & Euangelica doctrina pax Romano Imperio præparata: tunc omnia bella cessauerunt, & nequaquàm per oppida & vicos exercebantur ad prœlia, sed ad agrorum cultus: militibus tantùm legionibus q. Romanis contra barbaras nationes bellandi studio delegato: quando impletus est Angelorum ille concentus, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis: & in diebus eius orta est iustitia & multitudo pacis. Sic Hieronymus. Hos autem secutus Cassiodorus in Chronico, etiam ipse statuit Christum natum anno Imperij Augusti quadragesimo primo: vt & Iulianus Toletanus, in fine libri tertij contra Iudæos. Videntur verò & Hieronymus & Tertullianus accepisse quidem natum fuisse Christum primo & quadragesimo anno Augusti: sed pla-

planè neſciuiſſe à quo initio ille quadrageſimus primus annus putandus, vel quotuplex initium numerandorum annorum Imperij eius in vſu fuiſſet. Vnde Hieronymus viceſimum octauum Auguſti annum quo ſcilicet Chriſti natale definiuerunt Clemens Alexandrinus & ſecundum eum Euſebius, videtur putauiſſe ab eodem initio, quo quadrageſimum primum, planè contra eorum mentem, ac rei veritatem. Tertullianus autem eundem annum quadrageſimum primũ putauit à morte Cleopatræ, non modò contra rei veritatem, ſed etiam contra ſuum ipſius calculum, ſtatuentis Auguſtum ſuperuixiſſe annis quindecim, & tamen imperaſſe tantùm quadraginta tribus poſt mortem Cleopatræ. Verùm eo videlicet hoc tantùm ſignificat Tertullianus, eundem quadrageſimum primum annum Auguſti vtique aliunde cenſendum eſſe quàm à primo initio Imperij eius.

Itaque apparet Hieronymum poſt Tertullianum & Tertullianum poſt Iræneum retuliſſe Chriſtum natum circa quadrageſimum primum Auguſti annum, eò quòd in Romanorum archiuis publicisq; actis

illo anno Censum in quem natale Christi inciderit, consignatum reperissent : interim haud prorsus callentes à quo principio idem annus numeratus fuisset. & verò non videtur dubium actis publicis ascriptum fuisse annum numeratum à principio siue epocha aliqua nota receptaq; publico & vulgari vsu illius populi, vbi & cuius Census in acta relatus sit. Atqui epocham siue vulgare principium numerandorum annorum Cæsaris Octauiani, ante deuictos Actiaca victoria Antonium & Cleopatram, constitutum inuenio duntaxat vnum, idque ferè sexennio post eędem Iulij Cæsaris, ineunte octauo anno Iuliano, consulatu Appij Claudij Pulchri & Claudij Norbani Flacci : primùmquidem & præcipuè in Hispania, deinde autem in Gallia & Africa & Italia, atque Sicilia, (vt colligere licet è Fastis Græcis in Sicilia repertis) adeoque toto ferè Occidente celebratum : quemadmodum Imperij Iulij Cæsaris epocha decennio antiquior, Antiochię primùm (licet incertum qua potissimum occasione) instituta, demùm toto ferè Oriente euasit celeberrima.

Ratio

Ratio verò institutæ eiusmodi epochæ Cæsaris Octauiani, ex quadragesimo octauo libro Dionis colligitur fuisse talis. Deuictis Bruto & Cassio Iulij Cęsaris perduellibus bello Philippensi, mortemque sibi consciscentibus, Lepido secundum & Plãco consulibus, *Cæsar & Antonius*, inquit Dion, initio libri, *statim à victoria Lepidum, qui eius victoriæ socius non fuerat, antecelluerunt. &c. Statim enim Imperium Cæsar Antoniusque inter se partiti sunt: ac Cæsari quidem Hispania & Numidia, Antonio Gallia atque Africa assignatæ sunt, ea conditione, vt si id Lepidus animo iniquo ferret, Africa ei cederetur. &c. Lepidus autem nomine tantùm imperabat, & id ipsum quoque in rescriptis sæpe omittebatur.* Biennio autem posteà, Domitio Caluino secũdum & Asinio Pollione consulibus, confecto à Cæsare bello Perusino, Antonioq; post Fuluię vxoris mortem, & simultatib' redeunte cum eo in gratiam, cuius etiam sororem Octauiam paulò post accepit in matrimonium, *Cæsari*, inquit Dion, *Sardinia & Dalmatia, Hispaniæ; & Gallia, Antonio reliqua omnes trans sinum Ionium regiones tam Europæ quàm Asiæ, qua iuris*

Romani erant, obtigerunt. nam Africas prouincias Lepidus habebat: Siciliam Sextus Pompeius. Hac tunc denuò Imperij dimissio facta: bellique contra Sextum societas inter Cæsarem & Antonium inita. &c. Proximo inde anno, inquit idem Dion, *Lucio Marcio, Caio Sabino consulibus, ea quæ Triumuiri ab inito magistratu egissent, omnia Senatus rata esse iussit. & præterea ab ipsis Triumuiris noua quædam instituta fuere vectigalia: quod longè maiores sumptus, quàm quos Cæsar superior statuerat, fiebant. quum enim immodicam pecuniam expenderent præsertim in milites, turpe sibi putabant quòd soli præter modum insumerent. Sanè Cæsar tum primùm barbam radens, ipse splendidè eum diem festum egit, & publicum epulum dedit. &c. Iam enim Liuiam amare cœperat: ideoque Scriboniam quum filiolam sibi peperisset, eadem die repudiauerat. enim verò quia sumptus fiebāt longè quàm antea maiores, ac reditus alioquin non sufficientes, minores etiam tunc accederent propter ciuilia bella, noua vectigalia quædam ab ijs excogitata sunt. in Senatum etiam adscripti sunt permulti, non modo è socijs, militibus, & libertinis sed serui etiam. &c. inde & magistra-*

gistratus alios in aliquot annos, & consules in totos octo annos ordinauerunt. &c. Atque ipsis comitijs tunc primùm plures designati simul sunt: &c. annuus verò consul nullus est creatus, sed alij ad alias partes eiusdem anni designati: quorum primi nomen consulum per totum annum gerebant, alios ij qui Romæ aut in Italia erant, sui quemque magistratus tempore consulem nominabant, reliqui homines aut omnes istos aut plerosque ignorabant, id circoq; eos consules minores appellabãt. &c. Eodem tempore Ceretani in Hispania rebellionem fecerunt: eosque Domitius Caluinus subegit, non ante tamen quàm legatus eius & rem benè gessisset contra eos, & infeliciter insidijs à barbaris circumuentus & à militibus suis desertus esset. Itaq. Domitius hostem, non nisi sumpto priùs de militibus supplicio, aggressurus, &c. ita vt propter punitũ exercitum etiam perinde ac Marcius Crassus nomen inuenerit, in hostem duxit, eumq. haud difficulter debellauit. Triumpho autem sibi concesso, (quamuis enim Hispania Cæsaris imperio subesset, tamen honores legatis tribui solebant, ex sententia eorum qui summã Imperij tenerent,) aurum, quod in triumphũ conferri ab vrbibus solet, à solis Hispanis

ciuitatibus accepit: atque eius aliquam partem in triumphi apparatum insumpsit, maiorem verò in Palatium reficiendum. &c. Denique insequentibus *Appio Claudio Pulchro & Caio Norbano Flacco consulibus, qui primi binos quæstores habuerūt*, inquit Dio, *plebs seditionem contra publicanos qui eam grauissimè vrgebant, ita mouit, vt cum ijs, ac ministris militibusque quos ij secum in exigenda pecunia habebāt, manus conseruerint. &c. Sub idem tempus Bogud Mauritaniæ rex in Hispaniam, siue Antonij iussu, siue suapte voluntate nauigauit, eique & dedit multum mali, & vicissim accepit: interimque deficientibus ab eo domi suis Tingitanis, & ex Hispania recessit, neque regnum suum recepit. nam qui in Hispania Cæsari fauebant, ij Bochi auxilio Bogudem vicerunt. Bogude autem ad Antonium se conferente, Bocchus eius regnum occupauit, idque Cæsar ei confirmauit: ac Tingitanis ciuitatem Romanam dedit.* Hoc ipso tempore, ac paulo superiùs, *bellum inter Cæsarem & Pompeiū exortum est. &c. Cæsar pactorum literas à Vestalibus repetijt. &c. Interim per vniuersam fermè Italiam naues ædificabat, remiges primùm ab amicis tanquam vltrò conferen-*

tibus

*tibus,deinde à reliquis etiam Senatoribus,equitibusque & plebeijs locupletibus, seruos colligebat,militum d lectus agebat, pecuniã ab omnibus ciuibus,socijs,subditisque & intra & extra Italiam,contrahebat.Nauibus parandis & colligendis exercendisque remigibus, totus is cum sequenti annus est consumptus.*Ex quibus omnibus apparet,quãdoquidem Triumuirorum acta sub hoc tempus à Senatu confirmata sint,multaq; ab ipsis in nouorum hominum in Senatũ adscriptione, consuluinque & cæterorum magistratuũ designatione, innouata,præsertim verò noua quædam tributa excogitata sint, quæ in primis Hispania, Cæsaris Imperio iam tandem denuò subiugata, & ceteræ prouinciæ ad Occidentem hinc cedentes omnino in eiusdem potestatem, (remissa tantùm parte Africæ Lepido, quem anteà despectui habitum,Cęsar post biennium Triumuiratu planè exuit,) hoc demum anno pendere cœperint, & quidem eædem Cæsaris prouinciæ cò maiora & grauiora ob apparatum belli cõtra Sextum Pompeium:ea ratione demùm hoc ipso anno consulatus Claudij Pulchri & Norbani Flacci, i..stitutam esse epocham

Imperij Cæsaris Octauiani in partibus Occidentis, præcipuè verò in Hispania, atque euenisse, vt eadem appellata sit Aera Hispanica, ob noua æra vectigalia tunc pendi cœpta. tametsi æra etiam apud veteres pro calculis numeratoriis adhibita fuerint.

Enimuerò vsus eius epochę, licet corruptè barbareq; scribi & inflecti demum solitæ, Era, Eræ, &c. in Hispaniâ obtinuit ampliùs mille ac trecentis annis: ac vix trecentis ab hinc annis epochæ annorum Domini Dionysianæ cessit. illâ autem vsus Isidorus Hispalensis in historiâ siue Chronico Gothorum, eius initium petit ab Aerâ ducentesimam decima quarta, id est, vulgari anno Domini centesimoseptuagesimo sexto. in tomis autem Conciliorum Ecclesiasticorum, vbi plurimus eius vsus, concilium Nicenum primum Oecumenicum statuitur Aerâ trecentesima sexagesima tertiâ, id est, anno Domini vulgari trecentesimo vicesimo quinto. Porro eiusdem Aerę vsum in Galliâ quoque obtinuisse, argumento est annotatio temporis concilij Valentini in Galliâ, huiusmodi. *Concilium Valentinum triginta*

Epi-

Episcoporum, Aera quadringentesima decimatertia, sub Gratiano & Valentiniano. Imperatoribus, Gratiano tertium & Equitio consulibus. Item cōcilij Arelatēsis quarti, tempore Imperatoris Caroli Magni, Aera, octingentesima prima. Perinde autē in Africâ, secundæ synodi Carthaginiensis titulus huiusmodi. *Concilium Carthaginiense secundum habitum Aera quadringētesima vicesima octaua, &c. Imperatore Valentiniano quarto & Theodosio (siue Neoterio) consulibus.* Item quartæ synodi Carthaginiensis, Aera quadringentesima tricesima sexta, Hōnorio Augusto quartò & Eutychiano consulibus.

Cæterùm veteres Fasti Græci ante annos plus minus sexaginta, reperti vt dixi in Sicilia, omnino illius epochæ occasione, initium Imperij Cæsaris simpliciter & absolutè, tāquā a cæde Iulij Cęsaris statuūt dicto cōsulatu Pulchri & Flacci his verbis. Ὑπατ. Πάλχρου καὶ Φλάκκου. Ἐ Γαΐου Ἰούλου Καίσαρος Γαΐου Ἰούλου Καίσαρ ἀπελθὼν ὁ Ῥώμη ἐσφάγη &c. quæ Latinæ sonant in hanc sentētiam. *Consulibus Pulchro & Flacco, anno quinto Caij Iulij Cæsaris, idem Caius Iulius Cæsar redeuns Romam, occisus est à secundo Bruto, coniu-*

ratis cum eo aliis quibusdam Senatorũ. Post mortuum Cæsarem Caium Iulium, elegit Senatus Romanorum Augustum Octauium cognatum Cæsaris, & Antonium maritum sororis Augusti, & Lepidum. & constituti sunt illi tres Triumuiri, qui administrarunt Romana negotia vsque ad mortem ipsorum, designantes consules. Romanorum secundus imperauit Cæsar Augustus, qui & Octauius annos quinquaginta sex, menses sex: duodecim quidem (annos) quousque sublata est Cleopatra, triginta vero alios post eius interitum, monarchiam obtinens subiugata etiam Aegypto: in quibus natus est secundũ carnem Dominus noster Iesus Christus in Bethlehem Iudæa. reliqui autem fuerunt anni quatuordecim post eos: (videlicet Imperij siue Monarchiæ eiusdem:) quemadmodum hic subijcitur. Ita Fasti Græci. Idem verò deinde referunt Augustum inuasisse ac subiugasse Aegyptum, anno Imperij sui duodecimo, consulatu autem ipsius Augusti septimo & Agrippæ secundo: quo nimirùm reuera instituta est epocha annorum eiusdem cognominati Augusti.

Itaque ex his fit plusquam probabile, quod Irenæus antiquissimus Galliæ epis-

co-

cupus, & Tertullianus presbyter Carthaginiensis referunt Christum natum anno Cæsaris Augusti quadragesimo primo, eum annum a consulatu Claudij Pulchri & Norbani Flacci putandum esse, vt pote vnica & sola vsu recepta epocha annorum Imperij Augusti ante Actiacam victoriã, eaq; etiam in Gallia vbi Irenæus & Carthagine vbi Tertullianus degebant vsitata, perinde ac in Hispania. Iam verò annus quadragesimus primus inde numeratus, tanquam ad amussim conuenit consulatui Aelij Lamiæ & Seruilij Gemini: quo proinde vtique cõsequés est natum esse Christum, medio Augusti Censu, instituto summum præcedente consulatu Alfinij & Vinicij.

Eidem autem consulatui Lamiæ & Seruilij conuenit etiam appellati Augusti annus tricesimus, vt pote a consulatu ipsius Augusti septimo & Agrippæ secundo, in quem ipsum item annum Augustanum, (quod obseruatu dignum,) sed tanquam Aegyptiorum, errore veluti forice suo indicio se prodente, Fasti Græci natale Christi conferunt; in quem ipsum etiam annum, quod item obseruatu dignum, sed

tanquam Actiacæ victoriæ, Dionysij Abbatis Romani rationes incarnationem Christi conferunt: cui ipsi denique anno, quod etiam ipsum obseruatione dignum, annus tricesimus Aeræ, quam Ioannes Gerundensis episcopus, in fine Paralipomenorum Hispaniæ, contendit esse veram Aeram Augusti Cæsaris, institutam anno Imperij eius decimosexto, (nimirùm à cõsulatu Pansę & Hirtij,) vel decimo septimo, nimirùm à cæde Iulij Cæsaris, ideoq; omnino vndecim annis posterioris veræ æra Cæsaris Octauiani Hispanica, sed perperàm ab illo cum hac confusæ, conuenit.

CAP. X.

QVod autem Eusebius annum Augusti quadragesimum primum à Tertulliano acceptum, vt apparet in Chronico, ibi, & Ecclesiasticæ historiæ libro primo, capite quinto, commutauit cum quadragesimo secundo: id ille nimirum fecit, vt eum connecteret cum accepto ab antiquiore auctore Clemente Alexandrino, anno vicesimo octauo, tanquam itidem Augusti Aegyptiaco: vt pote in quem qua-

dra-

dragesimus secundus annus Imperij Augusti a consulatu Hirtij & Pansæ, ijsq. interfectis, ipsius primo conuenerit. eum autem Eusebij errorem Epiphanius, & Paulus Orosius, & plerique alij deinde secuti sunt.

Cæterùm Eusebius errorem suum vtrumque, nempe constituti natalis Christi anno Imperij Augusti quadragesimo secundo potius quàm primo, eoq, putato à consulatu Pansæ & Hirtij, potius quàm Norbani & Flacci, in Chronico ipse sanè redarguit: quatenus ibi Christi natale statuit anno proxime præcedente eum, quo *Augustus Tiberium & Agrippam* (posthumum) *in filios adoptauit*, tanquam anno Imperij eiusdē quadragesimotertio. Nāq. *Cæsar Augustus*, vt scribit Velleius Paterculus, libro secundo, *quod post Lucij* (Cęsaris) *mortem, adhuc Cæso viuo, facere voluerat, eoq. vehementer repugnante* (Tiberio) *Nerone erat inhibitus, post vtriusque adolescentum obitum facere perseuerauit, vt & Tribunitiæ potestatis consortionem Neroni constitueret, multùm quidem eo cum dimitum in Senatu recusante, & eum, Aelio Cæto, Sentio* (Saturnino) *consulibus, quinto*

Kalendas Iulias, post Vrbem conditam annis septingentis quinquaginta quatuor (imo septem, VII pro III, iuxta Varronis & Vulgi supputationem,) *ab hinc,* (id est, ante Vinicij Quartini & Cassij Longini cōsulatum, quando hæc scribebat Velleius,) *annis viginti septem, adoptaret. &c. adoptatus eadem die etiam Marcus Agrippa, quem post mortem Agrippæ Iulia enixa erat.* Ita Velleius. Similiter autem Dion, libro quinquagesimo quinto, refert *Augustum, post susceptum Imperium in quartum decennium,* nempe ipso consulatu Lamiæ & Gemini, quo natus fuerit Christus, sub tempus Lustri conditi atq. consulatum Cinnæ & Messallæ *adoptasse Tiberium, ac Tribunitia potestate ad annos decem data in Germaniam ablegasse.* Consulatus vero Aelij & Sentij proximè præcedens illum Cinnæ & Messallæ, conuenit anno Imperij Augusti quadragesimo secundo, iuxta nostram epocham institutam consulatu Pulchri & Flacci. Ergo quum Eusebius statuat Christi natale anno proximè præcedente adoptionem Tiberij: necesse est eatenus iuxta ipsius quoque rationes illud conuenire anno Augusti quadragesimo primo, non se-

secundo,perinde atq. hanc quadragesimo secundo,non tertio& quidem a consulatu Pulchri & Flacci, neutiquàm verò Pãsæ & Hirtij: ideoq. ipsum, eodem errore transtulisse natale Christi ab Augusti anno quadrrgesimo primo ad secundum, quo transtulit adoptionem Tiberij a quadragesimo secundo ad tertium, vtique vtroque annoæquè natalis Christi atq. adoptionis Tiberij, numerando a dicto consulatu,non Pansę &Hirtij,verùm Pulchri &Flacci. Incassum itaq;Iosephus Scaliger,in animaduersionibus ad illum locũ Chronici Eusebiani,ex peruersa interpretatione mutili Dionis, metachronismum sexennij adoptione Tiberij causatur, quũ prochronismus quadriennij in natiuitate Christi potiùs arguatur. Porro autem adhenc nostrum calculum proxime accedit Ioannes Chrysostomus Constantinopolitanus episcopus, Sermone de natali Ioãnis Baptistæ,si modo ille auctor est eius qui sub ipsius nomine fertur, ita scribens. *Gesta autem sunt hac (nempe circa conceptionem Baptistæ) ante primum annum Imperij Tiberij Cæsaris, mense Septembri,octauo Calendas Octobris, incipiente Luna un-*

decima, quando oportebat Iudæos ieiunium scenopegia celebrare. Tunc verò post, non anno Tiberius Cæsar tempus cursumq. lunæ collegit, & inuentum est ipso die octauo Calendarum Octobrium esse æquinoctium, in quo est inchoatio noctis maior quàm lucis. postea vero ita. *Qua enim die conceptus est Dominus, eadem die & passus est. eadem ipsa die cœna pura fuit, in qua & luna quartadecima occurrit: conceptus est enim mense Martio, octauo Calendarum Aprilium die, luna quintadecima fuit, momentissimè propter horam passionis sua sustinebat.* Enimuerò Chrysostomus istic licet complura hausisse videatur ex vano, præsertim de tempestatibus anni quibus conceptiq. sint Baptista & Christus, de quibus mox: tamen quum significet Christū conceptum fuisse anno quo luna decimaquinta proximè conuenit viceſimoquinto dici Martij, ac nouimestri postea natum, sub annum primum Imperij Tiberij Cæsaris (qui, *vt Lucium Cæsarem eumtem ad Hispanienses exercitus, Caium remeantem Armenia, & vulnere inualidum, mors fato propera, vel nouerca Liuia dolus abstulit, solus è prinignis superstes, cunctis illuc vergentibus*

bus, filius, collega Imperij, & consors Tribunitia potestatis (Augusto) assumptus, vt refert Tacitus ferè initio primi libri Annalium:) manifestè designat, Christi conceptioni quidem Caij Cæsaris Vipsaniani & Aemilij Pauli Consulatum quo reuera decimaquinta luna vicesimo quinto diei Martij proximè conuenit, cōtigit enim vicesimo septimo sicut Luna vndecima sub vicesimum septimum diem Septembris pręcedētis, ~~trūs~~que propius quàm intra octēni ~~id~~ pręcedēs: natiuitati verò propediem initurum consulatum Vinicij & Alfinij, quasi quo nimirum peractus sit Census, in quem & natale Christi, & initium Imperij Tiberij incidit: simulq. innuit eundem annum fuisse nonum post institutam correctionem anni Iuliani ab Augusto, & concessum Tiberio nomen Imperatoris militiæ, consulatu Marcij Censorini & Asinij Galli, quo idem mensem Sextilem de suo nomine Augustum appellari voluit, vt apparet è Suetonij capite tricesimo primo vitæ Octauij collato cum Censorini capite vicesimo secundo libri de die Natali, & Dionis libro quinquagesimo quinto, sub dictis con

vtrum

sulibus. vbi Dion quidem scribit in hæc verba ~~Augustus &c.~~ *Augustus prætereà militibus, non quidem victoriæ nomine, (quanquam & ipse Imperatoris nomen acceperat & Tiberio dederat,) sed quod Caium tunc primùm militaribus exercitijs deditum secum habebant, pecuniam largitus est. Cæterum Tiberium, Drusi (anno præcedente mortui) loco, ad Imperatorium munus prouehens Imperatorioq; id nomine decoratum, consulem iterum fecit: iussitq. eum more antiquitus recepto, antequàm magistratum iniret, literas publicè proponere. triumpho etiam ipsum ornauit.* &c. Censorinus autem ita scribit. *Qui mensis antea Sextilis fuerat, Marcio Censorino,* Caio *Asinio Gallo consulibus, in Augusti honorem dictus est Augustus, anno Augustano vicesimo*, scilicet completo. Suetonius verò ita. *Augustus annum à diuo Iulio ordinatum, sed posteà negligentia conturbatum, atq; confusum, rursus ad pristinam rationem redegit: in cuius ordinatione Sextilem mensem è suo cognomine nuncupauit.* Itaque hoc demum apparet fuisse illud, quod innuit potius quàm significat Chrysostomus, inquiens Tiberium tunc nono post anno, nimirũ post-

ustquam primum Imperatoris militiæ nomine decoratus, triumphoq. & altero consulatu designato ornatus esset: tempus assumq. Lunæ collegisse. etenim Lamiæ à Seruilij consulatu transacti sunt nouem mi ab eo, quo edictum est vt duodecim nonino fine die bissexto transigerentur, quò annus Iulianus admodum anni sola- # ris Calippica Solis & Lunæ periodo defi- nitum redigeretur. sed in eo vtique Chry- sostomus vnà cumpleriſque aliis videtur # fuisse errori obnoxius quod Censum illū, de quo, eodem sermone inquit, *Christus modo natus est, quando prima capitalis Censio humani generis facta est, Proconsulatum in Syria agente Cyrino, id est Domino: veniebat enim Dominus orbis terrarum qui de capite nostro censeret*: sat iuxta Græcum exemplar Sermonis de Natali allegatū à Scaligero, libro sexto de Emendatione temporum capite de natali Domini, idem inquit, *Hinc manifestum est quod secundum primam descriptionem natus est, idq. in archiuis publicè repositos codices Romæ licet † videntem quicunque voluerit accuratè perdiscentem cognoscere ipsum tempus Descriptionis*, siue Census illum, inquam,

Censum, sub cuius finem initium Imperij Tiberij contigerit, vnius tantum anni spatio, nempe eiusdem quo edictus est, peractum fuisse existimauerit, quum is ferè triennio durauerit: ita vt nostram sententiam de initio eiusdem Census ipse quoque suo calculo quàm proximè attingat, atq. vix aut ne vix quidem semestri quoad illius initium, paulò autem plus anno quoad ipsum natale Christi anteuertat.

Imò verò apparet, absque vanissimâ fuisse opinione pauculis annis anteà vulgo concepta, annunciatæ conceptionis Baptistæ, autumni æquinoctio, decimo die mensis septimi, die ieiunij, Zachariæ patri eius tanquam Summo Sacerdoti peragenti solenne sacrum expiationis, in intimo Templi adyto siue Sancto Sanctorũ, vnde pendet natalis Christi cõstitutio vicesimoquinto die Decembris, tanquam brumæ solstitio, quod inanissimum veritatis: apparet, inquam, ipsum etiam Chrysostomum relaturum fuisse natale Christi ad Lamiæ & Seruilij consulatum, vt pote ad annum reuera proximè præcedentem initium Imperij Tiberij ex adoptione Augusti facta sub finem primi extraordinarij

Census

Census Augusti, actis publicis siue archivis Romanorum relati: transacto nouennio, vt modò dictum est post institutam correctionem anni Iuliani, datumque Tiberio primùm nomen Imperatoris militaris, concesso etiam triumpho de Germanis, cum secundo consulatu eidem designato, Censorino & Asinio consulibus.

Quocirca etiam illa anni natalitij Ioannis Baptistæ descriptio à Suslyga ad confirmandas suas rationes petita ex Homilia Chrysostomi de illius natiuitate & à Keplero quoque comprobata, nostrum calculum confirmat magis quàm illorum. Nam primum quod ait Suslyga Chrysostomum statuere conceptionem Baptistæ anno proximè antecedente primum imperij Tiberij Cæsaris annum: id est, ipso interprete, primum annum Tribunitiæ potestatis eiusdem, quasi susceptæ anno Iuliano quadragesimo primo, Augusto duodecimum & Sylla cōsulibus: ad fidem huic interpretationi fuę faciendam frustrà abutitur fastis Capitolinis & veterum membranis nescio quibus, quum ex Velleio ac Suetonio liquidò constet, potestatem Tribunitiam primùm Tiberio concessam es-

se in quinquennium, ante discessum ipsius Rhodum, solido septennio ante consulatum Vinicij & Alfinij, ideoque integro annoante duodecimum consulatum Augusti, nempe circa initium consulatus Antistij & Balbi. quantum autem Tiberius abfuit ab imperio tunc Caio & Lucio Cæsaribus maximè florentibus: tanto manifestius est verba Chrysostomi spectare potius ad illud à nobis assignatum temp', quo mortuis demùm iisdem *Tiberius ab Augusto simul* (vt Taciti verbis iterum vtar.) *filius, collega Imperij, & consors Tribunitiæ potestatis assumptus est*: vnde Fabi sextam Tiberij Tribunitiam potestatem, neutiquàm quintæ continuatam vt putat Suslyga, sed quinquennij interuallo interruptam redintegrant; ita vt iuxta Chrysostomum quoque natalia Baptistæ atque Christi haud amplius semestri distantia intra biennij spatium tempus illud anteuerterint. Neque minus ægrè proposito suo accommodat, quod eodem auctor refert conceptionem Baptistæ nouem mensis præcessisse collectionem siue conjectionem anni Iuliani: neque enim quadragesimus annus Iulianus fuit tertius Iorum

rum duodecim quos Augustus iussit deesse fine intercalatione, vt ipse vult, eum quadragesimus primus fuit eorum primus, quum primus ab hoc intercalatus fuerit quadragesimus tertius: contra- inqu
que anni Iuliani correctio ab Augusto instituta Censorino & Asinio consulibus, vt modo declaratum est, nouemnio antecessit Asinij & Vinicij consulatum, quo concepti fuerint. Baptista pariter ac Christ' iuxta nostram sententiam: ita vt hoc plane voluisse videatur Chrysostomus, siquidem omnino de correctione anni Iuliani locutus sit. Atque hæc dicta sunto de priore parte secundæ notationis temporis natalis Christi adhibitæ à Luca, nempe Censu orbis Romani edicto & acto ab Augusto.

CAP. XI.

SEquitur iam posterior pars notationis eiusdem temporis, videlicet, quod is fuerit primus Census actus præsidente Syriæ Cyrenio. Cyrenium, quem Romanæ historiæ scriptores, præsertim Latini, vulgò appellant Quirinium, Dion etiam in indice libri quinquagesimi quarti, eun-

dem, vt apparet consulem cum Marco Valerio Messalla Barbato, anno Romæ conditæ Varroniano & vulgari septingentesimo quadragesimo secũdo, Πάβλιον Σουλπίκιον Κυρίνιον siue Κυρήνιον, duos in Syria & Iudea Cẽsus peregisse, colligere licet ex initio secundi capitis Euangelij Lucæ, collato cum Iosephi Antiquitatum fine libri decimi septimi, & initio decimi octaui: vbi hic ita scribit. in fine quidem alterius, sic. *Archelai verò ditione contributa Syriæ, missus est illo à Cæsare vir consularis Quirinius,* Κυρήνιος ἀνὴρ ὑπατικὸς, *qui Censum ageret per Syriam, & ipsius Archelai domum vẽderet.* Initio autem alterius, sic. *Intereà Quirinius Senator Romanus, per omnes honorum gradus ad cõsulatum vsq; prouectus, & in primis clarus, à Cæsare mittitur in Syriam, vt iura populis redderet, facultatesque censeret omnium: & cum eo venit Coponius, præfectus turmæ equitum, penes quem esset totius Iudeæ rerum administratio. quin & ipse Quirinius in Iudeam venit iam attributam prouinciæ Syriæ, vt percenseret facultates eius gentis, & Archelai pecunias in potestatem suam redigeret.* Itemque initio tertij capitis eiusdem libri,

libri, sic. *Quirinius autem venditis & confiscatis Archelai facultatibus, peraltoque Censu, qui incidit in annum tricesimum septimum post victum à Cæsare Actiaca pugna Antonium, cum mota esset contra Ioazarum Pontificem plebis seditio, privauit eum hac dignitate, & Ananum Sethi filium substituit.* Et paulò posteà. *Ceterum Coponio, quē cum Quirinio missum diximus, Iudaam administrante, huiusmodi quiddam accidit.* &c. His manifestè declarat Iosephus, Quirinium siue Cyrenium egisse Censum in Syria & Iudæa, quo tempore relegatus est Archelaus, quem quidem Censum propterea necesse est fuisse alium ab illo quo natus est Christus, tempore regni Herodis patris Archelai: ideoque consequens Lucam appellasse illum primum actum præsidente Syriæ Cyrenio, respectu posteriorisab eodem acti tempore relegati Archelai.

Etsi verò illum primum Censum pariter ac primam Cyrenij præfecturam Syriæ miro silentio prætereat Iosephus, ita vt vel inde appareat eum haud integrè tradidisse historiā Iudaicā: tamē fuisse Quirinium

Augusti legatum in Syria, siue Præfectum Syriæ, eodem tempore, quo secundus Augusti Census vniuersalis, vtpote Dione auctore Lustro condito consummatus, suprà relatus est: equidem è Tacito, Velleio, Suetonio, & Dione, mutuò collata colligo. Tacitus libro tertio Annalium de eodem, vt apparet, Sulpicio Quirinio, scribit in hæc verba. *Sub idem tempus*, Tiberius Imperator, *vt mortem Sulpicij Quirinij publicis exequijs frequentaretur, petitus à Senatu. Nihil ad veterem & patriciam Sulpiciorum familiam Quirinius pertinuit, ortus apud municipium Lanuuium: sed impiger militiæ, & acribus ministerijs consultum sub diuo Augusto, mox expugnatis per Cilitiam Homonadensium castellis insignis triumphi adeptus, datusque rector Caio Cæsari Armeniam obtinenti, Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat. quod tunc perfecit in Senatu, laudatis in se officijs, & incusato Marco Lollio, quem auctorem Caio Cæsari prauitatis & discordiarum arguebat.* Hæc Tacitus.

Porro Velleius, qui eodem tempore vixit, & rebus ipsis potissima ex parte interfuit, de Tiberij secessu Rhodum, & Caij Cæ-

Cæsaris profectione in Syriam, atque post redintegratum fœdus cũ Parthis ingressu in Armeniam, libro secundo sic scribit. *Breui interiecto spatio, Tiberius Nero, duobus consulatibus, totidemque triumphis actis, Tribunitiæ potestatis consortio æquatus Augusto, &c.* (Præstat omittere Velleij adulationes, breuitatis causa,) *eum Cæsar sumpsisset iam virilem togam, Lucius iam maturus esset viris, ne fulgor suus orientium iuuenum obstaret initijs, dissimulata causa consilij sui, commeatum ab socero atq; eodem vitrico, acquiescendi à continuatione laborum petijt, &c. ita septem annos Rhodi moratum &c. Sensit terrarum orbis digressũ à studijs Neronem vrbis. Namque & Parthus desciscens à societate Romana adiecit Armeniam manum: & Germania auersis domitoris sui oculis rebellauit. At in vrbe, eo ipso anno, quo magnificentissimis gladiatorij muneris naumachiæque spectaculis Diuus Augustus, abhinc annos triginta, se & Gallo Caninio cõsulibus dedicato Martis templo, animos oculosque Populi Romani repleuerat, fœda dictu, memoriáque horrenda in ipsius domo tempestas erupit, quippe filia eius Iulia, per omnia tanti parentis æquiperi imme-*

mor, nihil quod facere aut pati turpiter fœmina posset, luxuria & libidine infectum reliquit. & c. tum Iulus Antonius & c. ipse sceleris à se commissi vltor fuit. & c. & Sempronius Gracchus, ac Scipio, aliique minoris nominis, vtriusque ordinis viri, quasi cuiusdam vxore violata, pœnas pependere, cum Cæsaris filiam & Neronis violassent coniugem. Iulia relegata in insulam, patriaque & parentum subducta oculis. & c. Breue ab hoc intercesserat spatium, cùm Caius Cæsar, ante alys prouincijs ad fidendum (siue visendum) obitis, in Syriam missus, comente priùs Tiberio Nerone, cui omnem honorem vt superiori habuit: tam variè ibi se gessit, vt nec laudaturum magna, nec vituperaturum mediocris materia deficiat. cum rege Parthorum iuuene, excelsissima insula quam annis Euphrates ambiebat, æquato vtriusque partis numero coijt. Quod spectaculum Rantis ex diuerso hinc Romani illinc Parthorum exercitus, cum duo inter se eminentissima Imperiorum & hominum coirent capita, perquàm clarum & memorabile, subinitia stipendiorum meorum tribuno militum mihi videre contigit. & c. prior Parthus apud Caium in nostra ripa, posterior hic apud regem is

gem in hostili epulatus est. quo tempore, Maria Lollij, quem veluti moderatorem iuuentæ filij sui Augustus esse voluerat, perfida & plena subdoli ac versuti animi consilia per Parthum indicata, Cæsaris ira vulgauit. cuius mors intra paucos dies, fortuita an voluntaria fuerit ignoro. sed quam hunc decessisse lætati homines, tam paulo pòst obisse Censorinum in isdem prouincijs grauiter tulit ciuitas, virum demerendis hominibus genitum. Armeniam deinde ingressus, primæ parte introitus prospere gessit: mox in colloquio cui se temerè crediderat, grauiter à quodam, nomine Addua, vulneratus, ex eo vt corpus minus habile ita animum minus vilem reipublicæ habere cœpit: nec defuit vniuersa turba hominum, vitia eius assentatione alentium: etenim semper magnæ fortunæ comes adest adulatio. per quæ eò dux erat, vt in vltimo ac remotissimo terrarum orbis angulo consenescere, quàm Romam regredi mallet. diu reluctatus, inuitusque reuertens in Italiam, in vrbe Lycia, Limiram nauigij morbo obijt: cum ante annum fermè, Lucius Cæsar frater eius Hispanias petens Massilia decessisset. Sed fortuna quæ subduxerat ipsum magni nominis, iam tum reipublicæ suæ

præsidia reddiderat. quippe ante vtriusque horum obitum, patre tuo Publio Vinicio cõsule, Tiberius Nero, reuersus Rhodo, incredibili lætitia patriam replenerat. non est diu cunctatus Cæsar Augustus, &c. itaque quod post Lucy mortem, adhuc Caio viuo facere voluerat, &c. post vtriusque adolescentum obitum facere perseuerauit, vt & Tribunitia potestatis consortionem Neroni constitueret, &c. & eum Ælio Cato, Sentioque consulibus, quinto calendas Iulij, &c. abhinc annis viginti septem, adoptaret. &c. adoptatus eadem die etiam Marcus Agrippa, quem post mortem Agrippæ Iulia enixa erat. Hęc Velleius scribebat, vt suprà dictum est, Marco Vinicio & Cassio Longino consulibus.

Porro Suetonius, in vita Tiberij, à nono capite ad decimum sextum, sparsim hæc habet. *Tiberius magistratus & maturiùs inchoauit, & penè iunctim percucurrit: quæsturam, præturam, consulatum, interposito que tempore consulatum iterum: etiam Tribunitiam potestatem in quinquennium accepit. Tot prosperis confluentibus, integra ætate ac valetudine prospera, statuit repetè secedere, sęque è medio quàm longissimè amouere. dubium, vxorisne tædio, &c. quidam existimãt ad-*

adultis iam Augusti liberis, loco & quasi possessione vsurpati à se diu secundi gradus, spõte cessisse. &c. facta tandem abeundi potestate, &c. tantum non aduersis tempestatibus Rhodum enauigauit. &c. Comperit deinde Iuliam vxorem ob libidines atque adulteria damnatam. &c. Transacto autem Tribunitiæ potestatis tẽpore, &c. petijt vt sibi &c. permitteretur reuisere necessitudines &c. sed neque impetrauit, &c. Remansit ergo Rhodi contra voluntatem. &c. & accesserunt maioris sollicitudinis causæ. namque priuignum Caiũ Orienti præpositum, quum visendi gratia traiecisset Samum, alieniorem sibi sensit excriminationibus Marci Lollij comitis & rectoris eius. &c. Atque in tali statu biennio ferè permansit, contemptior in dies & inuisior. &c. quo præcipuè non iam metu sed discrimine coactus est. tam suis quàm matris impensissimis precibus reditum expostulare: impetrauitque adiutus aliquantum etiam casu. destinatum Augusto erat nihil super ea re nisi ex voluntate maioris filij facere. is fortè tunc Marco Lollio infensior, facilis exorabilisque in vitricium fuit. permittente ergo Caio reuocatus est, verum sub conditione, nequam partem curamue reipublicæ attinge-

ret, redyt octauo, post secessum anno, magna nec incerta spe futurorum. &c. Romã reuersus &c. Caio & Lucio intra triennium defunctis, adoptatur ab Augusto, simul cum fratre eorum Marco Agrippa: coactus prius ipse Germanicum fratris sui filium adoptare. &c. Data rursus Tribunitia potestas in P. f. *decennium. &c. Atque hæc Suetonius.*

Denique Dió, lib. quinquagesimo quinto, licet mutilus, vt dictum est deficiente ferè nouem consulatuum siue annorum historiâ, nempe à consulatu Antistij & Balbi proximè insequente Tiberij secundum & Pisonis, vsque ad inceptum consulatum Aelij Cati & Sentij Saturnini, hæc habet. *Annus deinde proximus Antistium Veterem, Lælium Balbum consules habuit. At Caius & Lucius Cæsares, vt puta in principatu educati, patris sui Augusti mores nequaquàm imitabantur, non modò delicatius viuentes, sed etiam insuper ferocientes. quippe Lucius, iniussu aliquando in theatrum ingressus,* (nimirùm, vt ex eodem Dione apparet, anno præcedente, quo tempore Caius, Tiberij consulis in Germaniã profecti vice, cum Pisone altero consule Ludos votos pro Augusti reditu fecit,)

cit.) *quum omnium applausu, partim ex animo, partim ab adulatione profecto excipe-retur: audta petulantia ausus est petere vt Caio fratri suo, nondum ex ephebis egresso, consulatus daretur. Haec vbi cognouit Augustus, indignatus optauit, ne talis vlla temporum necessitas euenire, qualis ipsum olim inuaserat, vt consulatus illi mandandus esset qui nondum vicesimum annum attigisset; & quum filij nihilominus hoc ab ipso contenderent, aiebat, tunc demum hunc magistratum esse suscipiendum, quum quis & ipse à peccando sibi cauere, & populi cupiditatibus resistere posset. Deinde Sacerdotium Caio, vtq. in Senatum conuenire, ac inter Senatores spectaculis epulisq. interesse liceret, concessit.* (Hoc nimirum erat, quod scribit Tacitus, propè initio Annalium, *Augustum genitos Agrippa Caium & Lucium, necdum posita puerili praetexta, principes iuuentutis appellari, destinari consules, specie recusantis flagrantissimè cupiuisse.*) Pergit Dion. *Vt verò aliqua ratione modestiores eos efficeret, Tiberio tribunitiam potestatem in quinquennium concessit: Armeniámq. qua defecerat mandauit. hoc frustra ab Augusto factum, & hos & Tiberium offendit: hos, quod se spre-*

tos iudicabant, Tiberium, quòd iram eorum verebatur. itaq, (in Armeniam non abijt, vt refert Zonaras, Dionem in hac parte historiæ ferè ad verbum secutus, sed) *in Rhodum se contulit, quasi disciplinæ capiendæ causa, ne commeatu quidem omni suo secum accepto: vt & à conspectu eorum, & actionibus se subduceret: nec desunt, qui hoc eum propter Iuliam coniugem fecisse putent, quam ferre diutius nequiuerit. certè eam Romæ reliquit.* Deinde post paucula. *Spectaculum exhiberet Augustus, aquam in Circum Flaminium induxit: in qua triginta sex crocodili sunt concisi. &c. Iuliam filiam suam adeò lasciuia progressam, vt in ipso etiam foro & Rostris nocturnas comessationes ac compotationes ageret, serò tandem quum deprehendisset: &c. adeò immodica ira correptus est, vt eam priuatim non continuerit, sed cum Senatu etiam cõmunicauerit. itaq, Iulia in Pandatariam, quæ est sita ad Campaniam insula, relegata est, vltrò cum ea Scribonia matre abeunte: qui verò cum ea rem habuissent, Iulus Antonius, quasi spe Imperij occupandi id fecisset, cum aliis nonnullis morte multatus est: reliqui in insulas exulatum missi.* Deinde post alia paucula. *Caio autem*

autem ad bellum Armeniacum misso Tiberius in Chium profectus, eum studiose coluit, humilem namq. se gerens, non tantum Caio, sed etiam comitibus eius submisit. Phraates rex Parthorum, &c. quum Caium in Syriam aduenire audisset, ac res domi conturbatas idio sui suspicaretur: ea conditione vt Armeniam missam faceret, in gratiam rediit. Paulò posteà. Caio & Lucio mortuis Tiberius Romam è Rhodo rediit. (imò potius, Tiberio Romam reuerso è Rhodo Lucius & Caius mortui sunt.) Augustus eo tempore Dominus salutatus, non modò prohibuit, neque ipsum hoc nomine compellaret, sed summopere etiam id cauit. Tertio autem decẽnio completo Augustus in quartum decennium, quasi coactus, Imperium suscepit, &c. Quum magnis ab eo precibus Populus contenderet vt illam reduceret: respondit, citius aquam ignem mixtum quàm illam in patriam restituturi. ac quantumuis populus multos in Tiberium ignes coniecisset, nihil tunc imperauit: posteà tamen vi illum eò perpulit, vt ipsam saltem incontinentem transferret. Tiberium adoptauit: ac Tribunitia potestate ad annos decem data in Germaniam ableganit. &c. Indè animo fiducia concepta

his

his quasi successoribus ac adiutoribus, iterū Senatus delectum habere instituit. &c. His per alios transactis, ipse iniuit recensionem eorum qui in Italiâ habitarent &c. id ne Censor facere videretur. &c. ad finem Census Lustrag; sacrum faciendum, proconsulare imperium accepit. Hæc quoque Dion, aut Xiphilinus ex Dione. quibus postremò adiungere visum est, verba Zonaræ aliis assectæ & ferè exscriptoris eiusdem, in hac parte historiæ, vt Lipsius ipsum appellat: sunt autem hæc, Annalium tomo secundo in Octauiano Augusto. Augustus cum Caium & Lucium nepotes, eosdemq. filios adoptiuos nō suos imitari mores videret, (nec enim luxuriosius duntaxat, sed ferocius etiam se gerebant,) eos q, vt priuatos, modestiores reddere statuisset: Tribunitiam potestatem in quinquennium Tiberio decreuit, & Armeniam post Tigranis obitum alienatam attribuit. Verùm eâ re nihil profecit, nam & pueri cum se neglegi putarent, ei succensebant: & Tiberius illorum iram veritus, in Armeniam non abijt, sed Rhodum eò profectus. Augustus verò anno sequenti duodecimum consul, Caium toga virili data in curiam adductum, principem iuuentutis designa-

ſignauit, & præfectum tribus eſſe iuſſit, anniq. pòſt, Lucio eius fratri eoſdem honores dedit. Populo congregato, & quadam corripoſtulante, ea de cauſa Tribunis ad Auguſtum miſſis, ipſe venit: & qua petebant, vnà cum eis conſideranit. qua re omnes ſunt delectati. Iuliam filiam, laſciuiã eius agerrimè ferens, in inſulam relegauit: cum eaq, mater Scribonia vltrò in exilium abijt. Ex exatoribus eius Iulium Antonium, & alios duos viros vt regnum affectantes interfecit, cæteros in inſulas relegauit. Cum Armenij defeciſſent, & à Parthis iuuarentur: eâ re dolens, quid ageret ambigebat, nec enim ipſe propter ſenectutem bellum gerere poterat. & Tiberius, vt dictum eſt, iam ſeceſſerat, nec alium ex potentioribus mittere audebat: Caium verò & Lucium, adoleſcentes, rerumq. imperiti erant. Verùm vrgente neceſſitate Caium delegit, poteſtate proconſulari & vxore datâ, vt ea quoque re dignitas eius augeretur, & conſiliarijs adiunctis. Is iter ingreſſus, ab omnibus vt Imperatoris nepos, ac patris filius, honorificè exceptus eſt. Tiberius etiam Chium traiecit, & adoleſcentem coluit, purgando ſuſpiciones, & ſummiſſè humiliterq. ſe gerendo. Cum in Syriam veniſſet,

& nihil præclari gessisset, vulnus accepit. Addo enim, qui Artagira tenebat, eum ad mœnia pellectum, tanquam arcani aliquid dicturus, vulneravit. acis quidem vrbe expugnata captus est. Caius autem, & iam alioqui parum firma valetudine, & dissolutiore ingenio, ex vulnere ægrotavit: & multò hebetior factus, postulavit, vt privatam sibi vitam liceret agere. id Augustus ægerrimè ferent, eum hortatus est, vt in Italiam reuersus, quod vellet ageret. Ille verò naue oneraria in Lyciam aduectus obiit, Lucio fratre eius repentino morbo prius extincto. vnde Liuia & Tiberius non multo ante Rhodo reuersu suspicione non caruerunt. Nam cum & ipse diuinationis ex sideribus peritissimus esset, & Thrasyllum virum in astrologia summum secum haberet: quid & sibi & illis euenturum esset, præsciebat, illud certè quidem fertur: cum aliquando Rhodi Thrasyllum de muro precipitare in animo haberet, vt solum cogitationum suarum conscium, & eum tristem vidisset, tristitiæ causa rogasse: qui cùm respondisset, magnum sibi periculum imminere: Tiberium admiratione scientiæ, & propter spem principatus apud se retinuisse. sed hæc hactenus. Augustus

verò cum Domini appellationem, à populo Romano sibi tributam, edicto repudiasset: & indigentibus decies quinquies centena millia drachmarum sine vsura in triennii mutuasset: ab omnibus laudabatur & celebrabatur. valent autem apud Romanos quindena drachmæ vnum aureum nummum: apud Græcos autem vicenis drachmis aureum nummum permutari scribit Dion. Posit hac Celtico bello orto, cum ob corpus & senio & morbo fessum, ipse ducere exercitum non posset: Tiberium partim ipsis rebus vrgentibus, partim Iulia impulsu (iam enim ab exilio reuocata erat) adoptatum, contra Celtas misit. veritus autem ne is per superbiam nouæ aliquid moliretur, etiam Germanicum Drusi filium adoptauit.

Iam verò ex his omnibus manifestum fit. Tiberium accepta tribunitia potestate in quinquennium, circa finem secundi consulatus sui secessisse Rhodum, ibique permansisse fermè septennio, ac Romam redijsse sub finem consulatus Vinicij & Alfinij, vt pote qui erat octauus ab ipsius secundo. quo tempore secessionis Tiberij Caius Cæsar adoptionis Augusti prærogatiua & populi Romani gratia iam sum-

pferat virilem togam, vt significat Vellei⁹, etsi nondum habebat ætatem ponendi puerilem prætextam, vt Tacitus, necdum excesserat ex ephebis, vt Dion, quippe natus, eodem auctore libro quinquagesimo quarto, Marco Apuleio & Silio Nerua cōsulibus. ideoq, post Antistij & Balbi consulatum, quo ipse decimum quartum ætatis annum exegerat, Augustus, vt vicesimo sexto capite vitæ eius refert Suetonius, *consulatū duodecimum septendecim annorum interuallo, & rursus decimum tertium biennio post, vltrò petijt, vt Caium & Lucium filios amplissimo præditus magistratu suo quemque tyrocinio deduceret in forū.* etenim Lucius natus erat, auctore item Dione, Furnio & Silano consulibus, biennij interuallo siue anno tertio post natum Caium. Præterea manifestum est, Augustum illo demum consulatu suo decimotertio & postremo, quo collegam habuit ordinarium quidem Plautium Siluanum, suffectum verò Gallum Caninium, vt refert Velleius, annis triginta ante Vinicium & Cassium consules, quibus ipse scribebat, Iuliam filiam suam, Caij & Lucij Cæsarū matrem, relegasse in insulam Pandateriā

atque

atq. post id tempus misisse Caium Cæsarem in Syriam ad coercēdum Parthum & recipiendam Armeniam, adiuncto ei moderatore iuuentæ ipsius & rectore Marco Lollio; ipsumq, in itinere Orientem versus, Chij & Sami visitatum esse à Tiberio Rhodi degente, tribunitiæ potestatis huius quinquennio iam transacto, ideoq. demùm Cosso Cornelio Lentulo & Calpurnio Pisone Augure consulibus: ac deinde posteà redintegrato ab eodem in Euphratis insula fœdere & amicitia cum Partho, mortuum esse Lollium, sub finem consulatus ipsius Caij Cæsaris Vipsaniani & Æmilij Pauli, ac initium consulatus Vinicij & Alfinij, vt pote iam tum concessa Tiberio venia redeundi Romam: atq. tum posteà demùm Caio ingresso & obtinenti Armeniam, Quirinium datum esse rectorem, nimirùm Lollij mortui loco, ac deinde adultâ ætate eiusdem consulat' Vinicij & Alfinij, Tiberium ab Augusto vitrico & matre Liuia reuocatum, instituisse nauigationem Romam: & circa idē tempus Caium accepto graui vulnere corpus minùs habile animumq. minus vtilem reipublicæ habere cœpisse: ipsumq.

post longam reluctationem, tandem initum reuertentem in Italiam, mortuum esse denique circa initium consulatus Ælij Cati & Sentij Saturnini, plus minus semestri ante adoptatum ab Augusto Tiberium. Quapropter hinc tandem firma ratione colligo & concludo, Quirinium siue Cyrenium, tanquàm malè sani & desipientis iuuenis rectorem, fuisse Augusti legatum & præfectum Syriæ, Vinicij & Alfinij consulatu, ac sequente Lamia & Seruilij, videlicet tempore medij & præcipui Census ab illo instituti.

CAP. XII.

QVoniam verò complures è recentioribus, vt pote Scaliger, Petauius, Sussyga, Kepplerus, & alij, occasione mutilati & corrupti Dionis, tempus profectionis Caij Cæsaris in Syriam ad bellum Parthicum & Armenicum, à Velleio, qui eidem interfuit, clare definitum, & à Suetonio satis aperte significatum, aliquot annis anticipat, quæ etiam in Chronico Eusebiano statuitur biennio antequàm oportebat, vt pote, penultimo Augusti consulatu,

latu,quum oporteret vltimo: operæ pretium fuerit, idem plurium auctorum testimonio confirmare. Ac primum quandoquidem non solum Velleius & Suetonius, sed etiam ipse Dion, quantumuis mutilus,idem statuant post relegatam Iuliam,eam relegatam esse neutiquàm ante decimumtertium Augusti consulatum, ex ætate ipsius ita liquet.nata fuit Iulia matre Scribonia,statim eodem die à Cæsare repudiata,auctore eodem Dione, libro quadragesimo octauo, verbis paulò superius allegatis,circa initium consulatus Marcii Censorini & Caluisii Sabini.viguit autem fauore & gratia Augusti patris pariter ac populi Romani vsque ad annum ætatis tricesimum octauum,quemadmodum refert Macrobius,Saturnaliorum libro secũdo,capite quinto,cui titulus,*Super iocis ac moribus Iuliæ Augusti filiæ*, his verbis. *Annum agebat tricesimũ octauum, tempus ætatis,si mens sana superesset, vergentis in senium: sed indulgentia tã fortunæ quàm patris abutebatur,cum alioqui literarũ amor, multaq. eruditio, quod in illa domo facile erat,præterea mitis humanitas, minimeq. sauus animus ingentem faũinæ gratiam con-*

ciliarent: mirantibus qui vitia noscebat tantam pariter diuersitatem, &c. nondum scilicet omnibus ea noscentibus. Atqui consulatus triceſimus octauus ab illo Cesorini & Sabini, eſt ipſe Auguſti decimus tertius & Siluani. ergo neutiquam ante hunc relegata fuit Iulia.

Præterea eodem quoque Dione auctore, libro quinquageſimo quinto, verbis proximè ſuperius allegatis, *Populus Romanus Auguſtum vi eò perpulit, vt eandem Iuliã ex inſula Pãdateria ſaltem in cõtinenti tranſferret*: demùm circa id tempus quo Tiberium adoptauit: videlicet circa medium conſulatum Aelij & Sentij. Suetonius autem, ſexageſimo quinto capite vitæ Auguſti, inquit: *Poſt quinquennium demum ex inſula in continentem, lenioribuſque paulò conditionibus, tranſtulit eam*. Atqui quinquennium retrò putatum à medio conſulatu Aelij & Sentij, præcisè conuenit medio conſulatui Auguſti decimo tertio & Siluani.

Porro autem Tacitus, libro primo Annalium, refert eandem à Tiberio peremptam, initio Imperij ſui, Pompeio & Apuleio conſulibus, pariter ac *Sempronio Grac-*

chum

chũ vnũ ex adulteris ipsius, *postquàm amo tui Cercinam Africi maris insulam, quatuordecim annos exiliũ tolerauerat.* Atqui anni quatuordecim interuenerunt inter Augusti decimum tertium Siluanique cõsulatum ac Pompeij & Apulei.

Idem verò etiam confirmari potest ex ætate ipsius Caij Cæsaris, suscipientis Parthicam illam expeditionem. suscepit enim illam eadem ætate qua Cæsar Augustus primum exercitum comparauit: cuius in monumẽto Ancyrano hęc habẽtur verba: *Annos vndeuiginti natus exercitum priuato consilio priuatáque impensa comparaui.* Illud verò ex Ouidij poetæ, eodem tempore florentis, libro primo de arte amandi scilicet, colligere licet, siquidem licet mihi etiam ex illo stercore aurum colligere. hic enim vbi meminerat illius magnificentissimi Naumachiæ spectaculi ab Augusto, consulatu suo decimo tertio exhibiti, aqua in Circum Flaminium inducta, cuius etiam Dion ipse, & Velleius, ante relegationem Iuliæ & expeditionem Caij meminerant, ita canens:

Quid modò, cum belli naualis imagine Cæsar,

Perfidas induxit Cecropiasque rates?
Nempe ab vtroque mari iuuenes, ab vtro-
que puella
Venêre, atque ingens orbis in vrbe fuit.

Deinde post alia duo carmina ad nostrum negotium nihil spectantia, subiungit hæc, Cæsareo quidem nomini adulatoria, alioquin ingeniosa & elegantia.

Ecce parat Cæsar domito quod defuit orbi
Addere: nunc Oriens vltime, noster eris.
Parthe dabis pœnas: Crassi gaudete sepulti,
Signaq; barbaricas non benè passa manu.
Vltor adest, primisque ducem profitetur in
annis:
Bellaque non puero tractat agenda puer.
Parcite natales, timidi, numerare Deorum.
Cæsaribus virtus contigit ante diem.
Ingenium cœleste suis velocius annis
Surgit, & ignauæ fert mala damna moræ.
Parnus erat, manibusque suis Tirynthius
angues
Pressit, & in cunis iam Ioue dignus erat.
Nunc quoque qui puer es, tantus tum Bac-
che fuisti,
Quum timuit Thyrsos India victa tuos.
Auspicijs annisque patris, puer arma moue-
bis:

Et

Et vinces annis auspiciisque patris,
Tale rudimentum tanto sub nomine debes:
Nunc iuuenum princeps, deinde future senum.

Ita Poeta de Caio vaticinatus, ingenioso quidem, sed falso tamen augurio. qui etiam ipse statim post, vel propter editam illam artem, vel propter ipsam Iuliam, vel propter vtramque certè nequissimam relegatus est. quod autē eecinit Caium moturum arma, non solùm auspiciis, sed etiā annis Augusti patris, eo manifestè significauit illum susceperum fuisse Parthicam expeditionem ineunte vicesimo ætatis suę anno, vt pote quo ipso anno ætatis suæ pater ipsius Augustus arma primùm mouit. Iam verò Caij, vt dictum est, ipso quoque Dione auctore, nati Apuleio & Nerua consulibus, annus ætatis vicesimus iniuit consulatū Lentuli & Pisonis, proximè sequente Augusti decimumtertium & Siluani. Ita tempus profectionis Caij Cæsaris in Syriam ad bellum Parthicum & Armenicum satis multis & euidentibus argumentis confirmatum esse reor.

Cæterùm quoniam id quoque, quod scribit Tacitus, *Quirinium consulatum sub*

diuo Augusto, mox expugnatis per Cilician Homonadensium castellis insignia triumphi adeptum, Baronio & aliis, præsertim Keplero, scrupulum mouet, vt existimet Quirinium ea gessisse in Cilicia tanquam Syriæ præsidem, ante constitutum modò tempus profectionis Caij in Syriam, licèt Suetonius in vita Augusti, capite tricesimo sexto, & Dion, propè initio libri quinquagesimi quinti, referant, Augustum interdixisse ne Magistratus, depositio honore, statim vel ante quintum demum annum prouincias sortiri possent, quarum eius capessendarum sors plerunque compluribus annis postea euenire soleret: sanè quidem Dioni, libro quinquagesimo tertio, in narratione partitionis prouinciarum inter Augustum & Senatum, *Cœlesyria*, *Phœnice*, *Cilicia*, *Cyprus*, &c. percensitæ sunt tanquam distinctæ prouinciæ: vnde appareret tametsi sæpe sub vno præside, qui dictus sit præses Syriæ, eæ omnes haberentur, sicut aliàs ipsæ pariter cum reliquis prouinciis Asiaticis & Ægypto sub vno præfecto Orientis, id tamen neque necessariò neque semper fuisse, quin variis occasionibus earum vna vel plures haberent pro-

proprios præsides, velut posteà Iudæa & Samaria Cumanum & Felicem eodem tẽpore. quod si toti Syrię præfectus fuisset Quirinius, antequàm datus esset rector Caio Cęsari, certè tantum ejus honorem non tacuisset Tacitus. Particula autem illa *Mox*, non est quod Kepplerum aut alium quẽquam turbet: quippe qua suo quodam idiotismo Tacitus passim abuti solitus sit, ad significandum aliquid succedens quo libet interuallo. Verbi gratia, propè initio primi libri Annalium, inquit, *Augustus Marcum Agrippam ignobilem loco, bonum militiâ & victoriæ socium, geminatis consulatibus extulit: mox, defuncto Marcello, generum sumpsit.* Atqui à tertio & postremo consulatu Agrippæ, ad consulatum Lollij & Lepidi, quo, vt refert Dion, libro quinquagesimo quarto, Augustus Iuliam filiam Agrippę vxorem concessit, fuerunt septem anni. Item initio libri quinti Annalium, pariter ac consulatus Rubellij & Fusij, inquit: *Iuliæ Augustæ funus modicum, testamentum diu irritum fuit. Laudata est pro Rostris à Caio Cæsare pronepote: qui mox verum potius est.* Atqui ab illo tempore mortis Liuiæ ad mortem Tiberij fi-

lij eius & initiũ Imperij Caij Caligulę, interuenit ſpatium annorum octo. Rurſum paulò poſt initium libri primi, atque initio Principatus Tiberij, de ſeditione legionum Germanicarum, inquit: *Caſſius Chærea, mox cæde Caij Cæſaris memoriã apud poſteros adeptus, tum adoleſcens & animi ferox, inter obſtantes & armatos ferri viam patefecit.* Atqui ab initio Imperij Tiberij ad cędem Caij Caligulę perpetuam à Caſſio Chærea iam ſeniore, vt refert Suetonius in Caligula, capite quinquageſimo & deinceps, euoluti ſunt plusquam viginti ſex anni. Quid plura? In fine libri ſexti, & Imperij Tiberij, inquit: *Eius mater in Liuiam, & mox Iuliam familiam adoptionibus tranſierat.* Atqui à prœlio Philippenſi, quo tempore poſt Caſſium & Brutum Liuius Druſus Claudianus Tiberij auus maternus & Liuię pater, quemadmodum refert Dion, in eius & Cæſaris nuptiarum narratione, libro quadrageſimo octauo, ſe ipſum vita exuerat, qui (incertum quot annis antecà) in familiam Liniã adoptatus erat, vt cõſtat ex Suetonio, in Tiberio, capite tertio, vſque ad exceſſũ Auguſti, quo tempore ipſa Liuia teſtamẽ-

to

to eius in Iuliam familiam & nomen Augustę assumpta est, vti refert Tacitus item paulò post initium libri primi, intercessit interuallum annorum quinquaginta quinque. Quid? an non etiam ex alio auctore ipse Kepplerus inq; hoc ipso negotio protulit huiusmodi verba, quorum etiam nos suprà meminimus, nempe, *Census Romanorum ciuium primum Seruium inuenisse, nec Augustum per orbem ampliasse?* At à primo censu Seruij regis ad primum censum Octauiani imperatoris intercesserunt minimùm quingenti triginta duo anni. Quocirca, quod idem Tacitus refert *Quirinium, consulatum, mox per Ciliciam insignia triumphi* (siue ornamenta triumphalia, neutiquam triumphum ipsum, quasi Romę deinceps actum.) *adeptum*: id neutiquam obstaculo fuerit, quo minùs decennio post consulatum suum Romæ manserit, vsque ad initium consulatus Lentuli & Pisonis: quo tempore Romę ductam aut repudiatam ab eo vxorem Lepidam, vtpote annis viginti ante condemnatam eandē Valerio Messalla & Aurelio Cotta consulibus, apparet ex ipso Tacito, in precedentibus eiusdem tertij libri Annalium, &

Suetonio in Tiberio, capite quadragesimo nono. Taciti verba sub dictis Valerio & Aurelio consulibus hæc sunt. *At Romæ Lepida, &c, defertur simulauisse partum ex Publio Quirinio, diuite atque orbo. &c. Quirinius postquam dictum repudium adhuc infensus, quãuis infami ac nocenti miserationem addiderat.* Et post pauca. *Lepida &c. theatrũ ingressa, &c. tantum misericordiæ permouit, vt effusi in lachrymas sæua & detestanda Quirinio clamitarent, cuius senectæ atq. æbitati & obscurissimæ domui destinata quondam* (nunquam tamen, vt apparet, desponsa) *vxor Lucio Cæsari, ac diuo Augusto nurus dedereţur. dein tormentis seruorũ patefacta sunt flagitia: itumque in sententiam Rubellij Blandi, à quo aqua atque igni arcebatur.* Porro superiùs allegatis Taciti verbis de Quirinij morte subiuncta sunt hęc. *Sed cæteris haud læta memoria Quirinij erat, ob intentata, vt memorani, Lepidæ pericula, sordidamque & prępotentem senectam.* Suetonij autem verba hæc sunt. *Consulat condemnatam & generosissimam fœminam Lepidam in gratiam Quirinij consularis prædiuitis & orbi: qui dimissam eã è matrimonio, post vigesimum annum, veneni olim*

insi

in se cõparati arguebat. Ex his itaq; apparet: Quiriniũ, quum Romę mansisset vsq; ad initium consulatus Lentuli & Pisonis, ibiq; duxisset Lepidam vxorem, aliquando destinatam Lucio Cæsari tunc quatuordecim annos nato, sed forte ab Augusto perspectâ eius indole, Quirinio potius quàm filio suo concessam: eâ repudiatâ missum esse ab Augusto legatum in Ciliciam prouinciam, tunc participem turbarum & seditionum vicinæ Armeniæ, cum Caio Cæsare eodem tempore misso in Syriam: indeq; intrà biennium, occasione rei benè gestæ in Cilicia, pariter ac vicinitatis, Lollij mortui loco rectorem Caij Cæsaris ab eodem Augusto constitutum esse: coluisse autem Tiberium Rhodi agentem tum anteà in Cilicia ei item vicina, interea dum Lollius discordiarum inter Caium & Tiberium auctor haberetur, tum etiam posteà quasi ad semestre, vsque ad patratum eius reditum Romam, ac fortasse, quantum conijcere datur ex hominis descriptione & alijs obseruatis apud Tacitũ, in Liuiæ & Tiberij gratiam struxisse insidias vitæ Caij Cæsaris, quod etiam ex Dione videtur innuere Zonaras.

Cæterum Quirinium neutiquam Caio datum esse moderatorem, vel ante Lollium, vel viuente adhuc Lollio, vt nonnulli existimarunt, nominatim verò Paulus Petauius, sed hunc omnino vsque ad mortem habuisse eius regimen, colligere licet etiamex ijs quæ de immensis eiusdem opibus occasione illius regiminis in Orientis partis, scribit Plinius, Historiæ naturalis libro nono, capite tricesimoquinto, in hæc verba. *Lolliam Paulinam, quæ fuit Caij (Caligulæ) Principis matrona, ne serio quidem aut solenni aliquo cæremoniarum apparatu, sed mediocrium sponsalium cœna, vidi smaragdis margaritisq. opertam alterno textu fulgentibus, &c. nec dona prodigi Principis fuerant, sed auita opes, prouinciarum scilicet spolijs parta. hic est rapinarum exitus: hæ fuit quare Marcus Lollius infamatus regi muneribꝰ in toto Oriente, interdicta amicitia à Caio Cæsare Augusti filio, venenum biberet, vt neptis eius quadringenties millies sestertijs operta spectaretur ad lucernas.* Hęc Plinius.

Quirinio autem pariter ac Caio successorem præfecturæ Syriæ missum ab Augusto fuisse Sentium Saturninũ, ante peractum

actum in Iudæa censum illum Augusti medium & præcipuum, constat ex Tertulliano, libro quarto aduersus Marcionem, capite decimonono, scribente in hæc verba. *Sed & Census constat actos tunc in Iudea per Sentium Saturninum, apud quos genus eius* (nempe Christi) *inquirere potuissent.* Atq. hoc quidem apprimè quadrat nostris rationibus easq, etiam confirmat: quatenus apparet, aduentu Saturnini successoris in Syriam, adulto vere aut ineunte æstate (quæ erat tempestas anni maximè obseruata mutandis præsidibus prouinciarum remotiorum) consulatus Lamiæ & Seruilij, anno Epochæ siue Aeræ Cæsaris Octauiani quadragesimo primo, iuxta calculum Tertulliani petitum è Census tabulis. Caium cum Quirinio scilicet rectore suo quamlibet inuitum, coactum esse apparare reditum in Italiam: quo tandem instituto, deinde intra semestre, sicut anteà duodeuicesimo ferè mense, auctore Suetonio in Octauio, capite sexagesimo quinto, Lucium fratrem, ita ipsum, vt loquitur Tacitus initio Annalium *remeantem Armenia, & vulnere inualidum, mortifato properat, ut nouerca Liuia dolus abstu-*

*lium*ac propterea in Iudæa institutum quidem fuisse Censum proximè antecedente consulatu Alfinij & Vinicij, præside Syriæ Cyrenio, finitum autem proxime sequente Aelij & Sentij, Præside Sentio, vt videtur consulis patre, nempe intra triennium quod eo agendo duo illi præsides quasi medium (quo nempe ipso ferè articulo temporis natus sit Christus) partiti fuerint quum Keppleri rationes eundem Censum ad natale Christi integro sexennio pendentem aut interruptum exhibeant.

CAP XIII.

POstremo autem ad confirmationem sententiæ nostræ de tempore Census, quo natus fuerit Christus, facere videtur, quod post Hieronymum, loco superius allegato in secundum caput Esaiæ, de stabilitâ tunc temporis pace per orbem terrarum, scribit Paulus Orosius, Historiarum aduersus Paganos libro sexto finiente, in hæc verba. *Anno ab Vrbe* (Româ) *condita septingentesimo quinquagesimo secundo, Cæsar Augustus, ab Oriente in Occidentem, à Septentrione in Meridiem, ac per totum Ocean-*

Oceani circulum, cunctis gentibus vna pace compositis, Iani portas tertiò ipse tunc clausit: quas ex eo per duodecim fere annos quietissimo semper obseratas otio ipsa etiam rubigo consignauit: nec prius vnquam nisi sub extrema senectute pulsata, Athenienſium (forte legendum Pannoniorum) ſeditione & Dacorum (forte Dalmatarum) commotione patuerunt. clauſis igitur Iani portis, rempublicam quam bello quaſierat, pace enutrire atque amplificare ſtudens, leges plurimas ſtatuit. &c. Domini appellationem, vt honoſ, declinauit. &c. Igitur eo tempore, id eſt, eo anno quo firmiſſimam veriſſimamque pacem, ordinatione Dei Cæſar compoſuit, natus eſt Chriſtus, cuius aduentui pax iſta famulata eſt: in cuius ortu audientibus hominibus exultantes Angeli cecinerunt, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Eodemque tempore hic ad quem rerum omnium ſumma conceſſerat, Dominum ſe hominum appellari non paſſus eſt, imo non auſus: quo verus Dominus totius generis humani natus eſt. Eodem quoque anno tunc primum idem Cæſar, quem his tantis myſteriis prædeſtinauerat Deus, cenſum agi ſingularum vbique prouinciarum, & cenſeri om-

nes homines iussit, quando & Deus homo videri & esse dignatus est. nunc igitur natus est Christus, Romano censui statim ascriptus, vt natus est. hæc est prima illa clarissimáq; professio, quæ Cæsarem omnium principem, Romanosque rerum dominos, singillatim cunctorum hominum edita ascriptione signauit. &c. Similia autem habet propè initio sequentis libri.

Clausas verò tertia vice ab Augusto Iani portas stabilita per orbem terrarum pace, apparet, neutiquàm ante missum Caium in Syriam, quã doquidem ille missus sit tanquam ad imminens longè maximum bellum Parthicum & Armenicum, non tantùm ad ordinandas Syriæ & Ægypti prouincias, vt Orosius in sequentibus ibi significat, verùm post redintegratum ab eodem fœdus & amicitiã cum Parthis, receptámque & pacatam Armeniam, ipso caio cæsare & Æmilio Paulo consulibus, vt suprà declaratum est: quo tempore reuerà, vt porro eiusdem Orosij verbis vtar, *toto terrarum orbe vna pax omnium, non cessatione, sed abolitione bellorum, clausæ Iani Gemini portæ, extirpatis belloxum radicibus, non repressis, Census ille primus*

mus & maximus fuit, cum in hoc vnum Cæsaris nomen vniuersa magnarum gentium creatura iuranit, simulque per communionem Census, vnius societatis effecta est. Atq. huc manifestè spectat, quod in chronico Eusebiano sub natale christi legitur, cęsar amicitiam cum Parthis fecit. quod quidem, pulcherrimum & optimę notę manuscriptum exemplar in Bibliotheca Nobilissimi Principis Henrici rectissimè refert ad quadragesimum quartum annũ Augusti, à cõsulatu Hirtij & Pansę, id est, ad ipsum consulatum caij cęsaris & Aemilij Pauli.

Conuenit verò ille consulatus Caij Cæsaris & Aemilij Pauli, anno Romę conditæ septingentesimo quinquagesimo secũdo, non quidẽ Varroniano, quo plerunque vtitur Orosius, sed Catoniano, quo vsus est Dionysius Halicarnasseus, qui sub idẽ tempus Romæ vixit, & historiam suam Romanarum Antiquitatum, tantummodo septennio anteà edidit: nempe consulatu secundo Tiberij Claudij Neronis & Calpurnij Pisonis, anno autem, vt ipse in eius procœmio testatur, Romæ cõditę septingentesimo quadragesimo quinto, inci-

dente in annum primum Olympiadis cẽtesimæ nonagesimę tertię. quumino apparet ipsum quoqȝ Titum Liuium, ingentem illum ac facilè Principem è Latinis conditorem Romanę historię, cui item ipse tantummodò biennio anteà in cõsulatu ac morte Drusi finem imposuit, secutum esse eundem conditę Vrbis Rome calculum: vt pote qui initio libri tricesimi primi, Appij claudij caudicis consulatum ac initium primi belli Punici refert ad annũ Vrbis conditę quadringentesimum octogesimum octauum, ac tricesimo quarto libro, consulatum Scipionis Africani secundum & Sempronij Longi ad annum quingentesimum quinquagesimum octauum, & cęteros eadem ratione. quid quod Eusebius quoque eundem calculum amplexatur in chronico statũs Romę conditum siue initium regni Romuli conditoris eius sub initium septimę Olympiadis. adeoq. etiam ipse Orosius, cum Eutropio, sępenumero eodem calculo vtitur: & quidem paulò anteà, referens ciceronis & Antonij consulatum ad annum Romę conditę sexcentesimum octogesimum nonum, ac cęsaris & Bibuli ad sex-

ad sexcētesimum nonagesimum tertium, ac denique crassi & Pompeij secundum, ad sexcentesimum nonagesimum septimum. Itaq; huiusmodi pariter anno Rom̄ conditę septingentesimo quinquagesimo secundo, quum Ianum tertiâ vice ab Augusto firmatâ pace clausum accepisset Orosius, videtur haud rectè calculo Varroniano applicuisse, perinde ac censum vniuersi orbis statim eodē anno non modò institutum, sed etiam peractum existimasse: qui maturius & tempestiuius, anno post clausum Ianum & stabilitam pacem proximè insequente edictus, indéque tertio (quorum vtique medio natus fuerit christus,) consummatus & peractus sit.

Cæterùm neq; illud verum est, quod idem iteratò dicit, tunc, *Per duodecim annos, clausas belli portas, beatissima pacis trāquillitate cohibitas.* Siquidem Lepido & Arruntio consulibus, anno Varroniano septingentesimo quinquagesimo nono, refert Dion, libro quinquagesimo quinto, *multa bella extitisse, acres Dalmaticas & Pannonicas maioribus motibus concitatas.* De quibus ipse etiam Orosius, in proximè præcedentibus, sub finem libri sexti,

ita scribit. *Pannonios nouo motu intumescentes Tiberius priuignus Cæsaris cruentissima cæde deleuit. idemq. continuo Germanos bello arripuit, è quib' quadraginta millia captiuorum victor abduxit. quod reuera bellum maximum & formidolosissimũ quindecim legionibus per triennium gestum est, nec ferè vllum maius bellum, sicut Suetonius testatur,* (videlicet in Tiberio, capite decimo sexto,) *post Punicum fuit. Sub eodem verò tempore Quintilius Varus cum tribus legionibus à Germanis rebellantibus, mira superbia atq; auaritia in subiectos agens, funditùs deletus est. quam reipublicæ cladem Cæsar Augustus adeò grauiter tulit, vt sæpè per vim doloris caput parieti collidens, clamaret, Quintili Vare redde legiones.* Ita Orosius. Cladem autem Varianam Dion propè initio libri quinquagesimi sexti refert ad consulatum Poppæi Sabini & Sulpicij Camerini, annum autem Varronianum septingentesimum sexagesimum secundum, tantùm decennio post Ianum clausum tertio, secundum ipsius Orosij supputationem. Vnde apparet clausum ab Augusto Ianum non hac tertia vice mansisse per duodecim annos, vsque ad Quintilij

tilij Vari cladem Germanicam anno sequente consulatum Poppæi Sabini & Sulpitij Camerini, octauum ab illo Caij Cæsaris & Aemilij Pauli, vt Suslyga & Kepplerus eodem Orosio auctore arbitrantur, verum ad eiusdem Vari consulatum, & bellum Pannonicum, ad quod Agrippa ex Syria reuocatus est, auctore Dione libro quinquagesimo quarto.

Itaq; iure sanè merito licet desiderare iudicium in Kepplero pariter ac Suslygâ, qui ad Ianum clausum & pacatum vniuersum Imperium Romanum sub tempus natale Christi, tanquam duodecimo Augusti cōsulatu, quinquennio ante Alfinianum, triennio verò etiam ipsorum testimonio antequam Caius Cæsar in Syriam missus sit, retrunt id quod scribitur apud Plinium, vicesimo capite libri tertij, *Erectum esse in Alpibus tropæum de deuictis gentibus Alpinis omnibus à mari supero ad inferum* (id, nimirum ab illis non satis animaduersum, est ab Adriatico ad Ligusticum vsque) *Augusto Pōtifice Maximo, Imperatore XIII, Tribunitiæ potestatis XVIII*: præsertim verò quum hic numerus Tribunitiæ potestatis, quo nituntur, etiam præter vulga-

(præcedente secundâ, anno Augusti

rium codicum fidem adiectus, manifeſtè quoque falſus ſit: quan loquidem omnes illius cardinis Populos à Druſo & Tiberio Auguſti priuignis perdomitos eſſe conſulatu Libonis & Piſonis, vel ſummum inde intra biennium, decimo illius Tribunitiæ poteſtatis anno, quo primùm facta eſt Pontifex Maximus, è Strabone ſub finem libri quarti, Velleio, Dione libro quinquageſimo quarto, & Floro proœmitio poſtremi capitis, aliiſq; conſtet.

Verum quod ibidē refert Oroſius, *Auguſtum, eodem tempore quo natus eſt Chriſtus, Domini appellationem declinauiſſe*, vtiquè omnino conuenit noſtro calculo quandoquidem Dion, licèt mutilus, loco ſuprà allegato hoc referat ſub idem tempus, quo Auguſtus imperium in quartum decennium ſuſcepit: quod nempe, iſtum decennij interuallum prorſus coniicit in Aelij Lamiæ & Seruilij Gemini conſulatum: ad quem nimirum ea omnia quæ ego hactenùs diſputaui, natali Chriſti referendum eſſe magno conſenſu arguunt.

CAP.

CAP XIV.

SEd contra hæc omnia adhuc ex Iosepho cum ab alijs tum præsertim nuper à Suslyga & Kepplero obijcitur vnum aut alterum haud parui in speciem momenti argumentum, quo fiat probabile Christū compluribus annis antè fuisse natū, quādoquidem appareat Herodem mortuum fuisse ante Caij Cæsaris profectionem in Syriam: primùm quod nulla Herodis ei præstita in Syria officia commemorentur à Iosepho, qualia antea Augusto & Agrippæ Orientis regiones inuisentibus: deinde quod idem Iosephus liquidò affirmet, post mortem Herodis, Caium, quem constat ex profectione in Orientem, nunquā reuersum esse Romam, concilio amicorum ab Augusto Romæ habito ob contentionem filiorum illius de hæreditate secundo mortui patris regno interfuisse. Ac certè videtur Iosephus semel atq; iterum id manifestè asserere, libro quidem secundo de bello Iudaico, capite primo, his verbis. *Cæsar secum præmeditans ea quæ ab vtraque parte dicerentur, vbi & regni magnitudinem, multitudinemq. redituum animaduertit, atq, insuper Herodis familiam nu-*

merosam, perlectis etiam Varii ac Sabini literis : optimates Romanorum ad concilium vocat, in quo tunc primũ ex Agrippa & filia sua natum Caium sedere iussit, filium adoptium: atq. ita partibus prosequendis opiã dedit. Antiquitatum autem libro decimo septimo capite vndecimo, his. *Quinq; Sabinus scripsit Cæsari literas, in quibus accusabatur Archelaus. at ille per Ptolemæum Cæsari libellũ obtulit, continentem ius suum, & testamentũ patris, simulq. rationes pecuniarũ Herodis obsignatas, cum ipso annulo atq. ita euentum expectabat. ille verò perlectis his omnibus, Variq, ac Sabini literis, tum quantum pecuniarum esset ac annui reditum, præterea, qua Antipas sibi regnum vendicans scripserat : amicos in concilium aduocat, & in his Caium Agrippæ & Iuliæ filiæ suæ filium, iam à se adoptatum, primi locum in cõsistorio tribuens.* Ita Iosephus.

Verum ad obiectorum prius facilis est responsio. Si enim Iosephus vllam, non iam dico Quirinij aut Census eo Syriæ præsidente actũ ante relegationem Archelai, sed vel Lollij vel ipsius Caij præfecturæ Syriæ totiusq; adeò Orientis, qua nihil quicquam memorabilius aut magis dectatum

tatum toto Augusti monarchiæ tempore ab Actiacâ victoria contigit, vspiàm omnino mentionem, tametsi non ante, at saltem post mortem Herodis fecisset: probabile fuisset eum dicturum fuisse aliquid vel de modo præstitorum vel de ratione non præstitorum ab Herode officiorum Caio in Syria. sed cum de his omnibus negy quidem vsquàm in eius scriptis occurrat, neminem existimauerim adeò pertinacem eius fautorem, qui non magnum in hac parte historiæ eius defectum agnoscat, ipsumque magnæ ignorantiæ, si non dissimulantię pariter ac erroris reum concedat. Dissimulantiæ quidem causa fuisse videatur Caij fastus Hierosolymis supplicare dedignati, eiusq. ab Augusto laudatio propterea: qua de re Suetonius nonagesimo tertio capite vitæ Augusti, inquit: *Caium nepotem, quod Iudæam præteruehens, apud Hierosolymam non supplicasset, collaudauit.* Ignorantię autem causa fortasse fuerit, quod Herodes, nempe satius existimãs videri minùs officiosus erga Caium quàm offendere Tiberium, postremo itinere Romam instituto peregrè abfuerit circa id tempus quo Cajus Hierosolyma prętęrue-

xerit.

Enimuero Herodem iter postremum instituisse Romam, post institutam Cæ profectionem in Syriam, apparet ex eo, quod ipse Iosephus, Antiquitatum libr decimosexto, capite decimo, posterioris lius reconciliationi cum filijs Alexandr & Aristobulo è Mariamna vxore Hyrcan nepte susceptis, vltimóq; itineri præter eius occasione suscepto Romam, præmi tit rescriptum Cæsaris Augusti pro Iu Asiaticis, exhibens mentionem Cæ Marcij Censorini, tanquam præsidis A siæ, scilicet propriè dictæ, in hæc verb *Suggestionem etiam eorum* (nempe Iudæor Asiaticorum) *oblatam mihi, pro ea pietat qua omnes homines complector, & in Cæ Marcij Censorini gratiã*, (nimirùm vt po te cuius tunc præsidentis Asiæ studios procuratione exhibita fuerit,) *iubeo cũ hu decreto dedicari in illustri loco, quem uni uersa Asia* (siue *cõmunitas Asia*) *mihi con secrauit apud Argyram*: (legendum *Ar cyram*:) *quod si quis contra decretũ ausu fuerit, non mediocri pœna multabitur.* Cen sorinum verò disertè refert Velleius, ver bis superiùs allegatis, obijsse in prouin

cijs

cijs Orientis, paulò post Lollium: id est, sub finem consulatus, vt suprà item dictũ, ipsius Caij Cæsaris Vipsaniani & Aemilij Pauli. vnde colligere licet eundem præfectum fuisse prouinciæ Asiæ eodem ãno, aut summum præcedẽte, quandoquidem, vti refert Dion paulò post initium libri quinquagesimi tertii, vtique in narratione partitionis prouinciarum inter Augustũ & Senatum, *ordinaria præfecturæ fuerint tantùm annua, neq; vt et eas sortiri, nisi quinto demùm anno à gesto in Vrbe magistratu, quò etsi magistratuum numerus quàm prouinciarum esset maior, tamen ad omnes tandem imperium perueniret*: vnde factum sit vt plerumque compluribus posteà demùm annis sors capessendi prouinciam ferre consueuerit. & quidem Censorinus tantùm sexennio anteà cum Asinio Gallo Romæ consulatum gessit. Idem quoque licet colligere è mentione ibidem factâ Iuli Antonij proconsulis Asiæ, qui consul erat biennio ante Censorinum, ac reuersus è prouinciâ videtur, paulò antequàm reus adulterij cum Iuliâ commissi, necem sibi conscisceret, decimotertio Augusti consulatu, vt significat Velleius, loco su-

prà memorato.

Porro autem licet idem colligere ex ijs, quæ ipſe item Ioſephus, in fine duodecimi capitis eiuſdem libri, poſteriorem Herodis cum filijs reconciliationem Archelai Cappadocum regis operâ factam conſecuta refert, in hæc verba. *Conuenit etiam inter eos, vt Herodes Romam peteret, quandoquidem de hoc negotio Cæſari ſcripſerit, feceruntq. ſimul iter vſque Antiochiam. ibi præſidem Syriæ Titium reconciliauit Archelao, atq; ita in Iudæam reuerſus eſt.* Apparet enim Herodem tunc deueniſſe non modò in aliquem contemptum propter odioſas contentiones inter ipſum & filios, ſed etiam in nonnullam ſuſpicionem ſentiendi cum Parthis. quod quidem ex ipſo Ioſepho, eodem libro Antiquitatum decimoſexto, capite vndecimo licet colligere, vbi refert, *quæſtione habita de filiorum amicis & famulis, vnum confeſſum eſſe Alexandrum literas miſiſſe Romam, vt eò accerſeretur inditaturus Cæſari de quadam contra eum conſpiratione patris ſui Herodis, qui iniiſſet ſocietatem cum rege Parthorum contra Romanos* Hoc verò cum ſit euidens argumentum iſtas Herodis turbas domeſti-

cas in-

cas incidisse in dissidia Parthorum cum Romanis, nata sub decimum tertium Augusti consulatum, quo desinente Caius occasione motus Parthici in Syriam missus est: consequens est subsecutam easdem turbas posteriorem Herodis recõciliationem cum filijs Alexandro & Aristobulo, factam intercessione Archelai Cappadocum regis, soceri Alexandri, & susceptum postremum Herodis iter Romam eâ de causâ, contigisse circa finem præfecturæ Titi siue Titij Syriæ præsidis, quem vicissim Herodes eodem tempore reconciliauerit Archelao, eundemq; paulo pòst prouinciâ discedẽtẽ exceperit Cai⁹. Nãq; hic Iosephi Titus videtur fuisse ille Titi⁹ Syrię pręses, cuius meminit Strabo, Geographistorię lib. decimosexto, his verbis. *At Phraates, qui illi* (Pacoro, vel poti⁹ Orodi vtriusq; patri, Parthorũ regi) *successit, tantùm Cæsaris Augusti amicitiæ studuit, vt etiam illi trophæa remitteret, quæ Parthi de Romanis erexerant. Et vocato in colloquium Titio qui per id tempus Syriæ præerat, quatuor ei filios legitimos obsides tradidit, Saraspadem, Cerospadem, Phraanem & Voonem,* (siue *Phraatem & Vononem,*)

duas eorũ vxores, & filios quatuor: seditionem metuens, & ne sibi insidiæ struerentur, intelligebat enim neminem aduersum se præualiturum, si neminem ex Arsacio genere metuendum haberet: propterea quòd Parthi valdè Arsacidarum sunt amantes. filios itaq; è medio amouit, volens etiam spem inimicis auferre. quare eius fily quotquot supersunt, Romæ publicè ac regaliter curantur. Ita Strabo. In eandem verò sententiam Tacitus, initio secundi libri Annalium, inquit. *Phraates, quanquam depulisset exercitum ducesq. Romanos: cuncta veneratiũ officia ad Augustum verterat, partemq; prolis, firmandæ amicitiæ miserat: haud perinde nostri metu, quàm fidei popularium diffisus.* Ita etiam Tacitus. Neutiquàm verò dati videntur à Partho obsides, eodem tempore quo remissa tropæa, siue signa, & captiui, (neq; verò id arguunt Strabonis verba,) nempe consulatu Apulei & Neruæ, Augusto & Tiberio versantibus in Oriente, sed postea demùm: quemadmodum significat Dion, libro quinquagesimo quarto, his verbis. *Interim Phraates, quia nihil dum eorum quæ pactus fuerat,* (nempe pro reddito filio, tradito Cæsari ab Teridate

eius

eius hoste, vt idem Dion refert sub finē libri præcedentis,) *perfeciſſet, veritus ne bello ab Auguſto impeteretur, ſigna ei militaria, & captiuos omnes, paucis demptis qui ſeipſos pudore moti interemerāt, aut in Armeniā occultè remanſerant, miſit: eaq; Auguſtus, quaſi bello aliquo Parthum viciſſet, accepit. nam hanc rem magna ſibi gloria ducebat, quod prælijs amiſſas anteà res citra vllum certamen recepiſſet. Itaque & ſacrificia eius rei cauſa, & templum Martis Vltoris, in Capitolio, ad imitationem Iouis Feretrij, quo ſigna ea militaria ſuſpenderentur, decerni iuſſit, ac deinde perfecit. eo quo etiam omnes in Vrbem inuectus, & arcu triumphali honoratus eſt.* Caterùm hæc omnia poſteà temporis, hāc ob rem, facta ſunt. Paulò autem poſteà. *Quum Armenia maioris populus Artabazem accuſaret, Tigranemque fratrem eius, qui tum Romæ erat, euocaret: Auguſtus Tiberium accerſiuit, vt Artabazem regno pelleret, Tigranemque ei præficeret. Tiberius, ab Armenis ante eius aduentum occiſo Artabaze, nihil ſuo apparatu reſpondens perfecit: tamen ea ſe re, quaſi ſua aliquid virtute egiſſet, iactauit, præſertim quum ſacrificia propter eam rem eſſent decreta: ac iam de*

summo Imperio cogitationes animo agitare cœperat, quòd cum ad Philippos accessisset, tumult' ex eo lòco in quo ante depugnatū fuerat, tanquā ex castris audit' fuerit, ac ignis ex ara in castris olim ab Augusto posita effulserat. Sic Diō. qui quū referat, & Augustū, signis tātūmodò captiuisq; redditis, & Tiberiū, occiso à suis Artabaze, maiore gloriatione & iactatione vsos, quàm pro dignitate rerum gestarum contra Parthum aut Armenum: apertè significat nequaquàm tunc temporis datos esse à Partho obsides, quippe qui maiorem iustiorémq; gloriandi & iactandi causam ac materiam præbuissent. Itaquè ambiguè pariter ac adulatoriè loqui videtur Velleius, libro secundo, de illa Tiberij in Orientem expeditione, his verbis. *Nec multo pòst missu ab eodem vitrico cum exercitu ad visenda ordinandaque quæ sub Oriente sunt Prouincias, præcipuis omnium virtutum experimentis in eo tractu editis: cum legionibus ingressus Armeniam, redacta ea in potestatem populi Romani, regnum eius Artauasdi tradidit, cuius, rex quoque Partborum, tanti nominis fama territus, liberos suos ad Cæsarem misit obsides.* Contrà verò Dioni con-

sen-

sentiens Tacitus, non Artauasdem, sed Tigranem à Tiberio regem Armeniæ constitutum, atq; post eum Artauasdem alium refert initio secundi libri Annalium, his verbis. *Armenia fuit inter Parthorum & Romanorum opes infida, ob scelus Antonij: qui Artauasdem regem Armeniorum specie amicitiæ illectum, dein catenis oneratum, postremò interfecerat. Eius filius Artaxias, memoria patris nobis infensus, Arsacidarũ vi sese regnúmque tutatus est. occiso Artaxia per dolum propinquorum, datus à Cæsare Armenijs Tigranes, deductusque in regnũ à Tiberio Nerone. nec Tigrani diuturnum imperium fuit, neque liberis eius, quanquam sociatis more externo in matrimonium regumque. Deinde iussu Augusti impositus Artauasdes: & non sine clade nostra deiectus. Tum Caius Cæsar componenda Armenia deligitur. Is Ariobarzanem origine Medum, ob insignem corporis formam & præclarum animum, volentibus Armenis præfecit.* Ita Tacitus, cui suffragatur etiam Iosephus, Antiquitatum libro decimoquinto, capite quinto, ita scribens. *Cæterùm Antonius subiugata Armenia Artabazen Tigranis filium cum filijs suis satrapis vinctum in*

Aegyptum misit, munus Cleopatra, & quicquid pretiosum de eo regno cœperat. regni autem Armeniæ potitus est Artaxias, filiorum illius natu maximus, qui in eo tumultu effugerat: cui post Archelaus, (Cappadociæ rex, insuper maritimis quibusdam Ciliciæ, & minoris Armeniæ regno donatus ab Augusto, eodem tempore, auctore Dione, loco proximè allegato,) *& Nero Cæsar,* (Tiberius quidem Nero, posteà demùm appellatus Cæsar,) *per vim à se pulso, iuniorem ipsius fratrem Tigranem successorem dederunt.* Similiter autem Suetonius in Tiberio, capite nono. *Stipendia prima fecit expeditione Cantabrica tribunus militum, deinde ducto ad Orientem exercitu, regnum Armeniæ Tigrani restituit, ac pro tribunali diadema imposuit. recepit & signa, quæ Marco Crasso ademerant Parthi. post hæc Comatâ Galliam anno ferè rexit.* Hæc Suetonius, haud quaquam taciturus de obsidibus Parthorum, si modò eos quoque cum signis recepisset Tiberius. Cæterùm quæ Iosephus decimi octaui libri capite tertio scribit: manifestè innuunt, obsides à Phraate datos esse aliquot annis post reddita signa. Sunt autem hæc. *Eodem tempore*

(vide-

(videlicet circa initium Imperij Tiberij) *Phraates Parthorum rex per insidias sublatus est à Phraatace filio, huiusmodi de causa. Phraates habens legitimos liberos, ancillam Italici generis Thermusam nomine, inter cætera dona à Iulio Cæsare* (nimirùm Octauiano Augusto in Iulium nomen adoptato,) *missam, primùm in concubinarum numero habuit. Procedente deinde tẽpore captus præcellente mulieris forma, suscepto iam ex ea Phraatace filio, etiam legitimo thoro eam sibi coniunxit. quæ cum quicquid vellet, regi persuaderet: cogitans filio suo Parthorum regnum astruere, intellexit nihil se effecturam nisi ablegarentur legitimi Phraatis filij. persuasit igitur marito vt Romã eos obsides mitteret. quò illis propter eà sine cunctatione abeundum fuit, patre voluntati Thermusæ adeò obnoxio. interea à Phraataces solus domi ad regnum educabatur. qui tadiosum ratus expectare dũ à patre decedente Principatum acciperet: cum matre contrà eũ conspirauit, cum quâ etiam stupri consuetudinem habere creditus est. ergo parricidio & incestu simul vsus popularibus, priusquàm confirmaret sua opes, per tumultum pulsus interijt.* Ex his apparet, quum neque auctor sit quis-

quam, nec alioqui verisimile sit, Cęsarem Augustum dona misisse Phraati Parthorum regi ante restituta Romanorum signa & captiuos, hunc à Thermusa vxore posteà accepta pellectum vt obsides Augusto mitteret, postquàm Phraates filium ex ea susceptus adolescere cœpisset. Quid igitur statuendum? anne Velleium qui eiusdem seculi fuit, omnino deceptum fuisse aut decipere voluisse? an potius eũ cum priore Tiberij legatione in Armeniam perquàm honorifica, coniunxisse aliam minùs honorificam, actam post susceptã tribuniciam potestatem, tempore secessus Rhodij? quam etiam Dion haud obscurè innuit, verbis suprà allegatis, scilicet: *Tiberio tribuniciam potestatem in quinquennium cõcessit, Armeniamque qua defecerat, mandauit.* Nec non Suetonius in Tiberio, capite duodecimo. *Remansit ergo Rhodi contra voluntatem, vix per matrem consecutus, vt ad velandam ignominiam, quasi legatus ab Augusto abesset.* Ergo illud tandẽ consecutus est. cuius nimirum prætextu, id nominis eius famæ adulabundus ascribere videtur Velleius: quod famæ Caij aduentantis in Syriam, meliori iure Dion, licet

licet mutilus, verbis partim suprà quoque allegatis, videlicet: *Phraates rex Parthorum quum de pace ad Augustum literas dedisset, isque rescribens, Phraaten tantùm nominasset, omisso titulo Regis regum: adeo nihil territus est Phraates, vt rescribens superbè, sibi ipsi Regis regum titulo dato, Augustum tantummodò Cæsaris nomine appellaverit. Postea verò quum Caium in Syriam aduenire audiret, ac res domi, odio sui conturbatas suspicaretur,* (nempe hæc erat *infidiarum suspicio, & fidei populariorum diffidentia*, quam filiorum Romanis datorum obsidum causam referunt Strabo & Tacitus,) *ea conditione, vt Armeniam missam faceret, in gratiam redyt.* sic Dion. Vnde apparet Phraaten, quum famam aduentus Caij cæsaris in Syriam accepisset, vocato in colloquium Titio qui tunc Syrię præerat, filios legitimos ei obsides tradidisse, quemadmodum refert Strabo: postquàm ab eodem Titio, rex Armenis fauore Tiberij agentis Rhodi tanquam legati ab Augusto, *nutu* autem ipsius *Augusti impositus esset Ariauasdes, qui mox non sine clade Romana deiectus sit.* vt scribit Tacitus.

Hinc autem consequens est, Titio prę-

sidi Syrię, quem Herodes Archelao Cappadoci reconciliauit ante postremum suum iter Romam, successisse Caium Cæsarem, rectore primùm Lollio, deinde Quirinio; quo tempore, nempe tempore nati Christi, Herodes regno suo in itinere Romano peregrè abfuisse videatur: Caio autem morti vicino & Quirinio Sentium Saturninum, cum procuratore Volumnio, quem Iosephus Herode in regnum reuerso pręsidem exhibet, Antiquitatum libro decimosexto, capite decimotertio; & quo pręside deinceps narrat Alexandrum & Aristobulum Herodis filios morti condemnatos traditosq;. Saturnino autem post biennium accersito ad bellum Germanicum cum Tiberio gerendum, sub consulatum Lepidi & Arruntij, vt significat Dion libro quinquagesimo quinto, & Velleius secundo libro, Quinctilium Varum, cum Sabino procuratore, sub Antipatri alius filij Herodis condemnationem & necem, ac subsecutam ipsius Herodis mortē, triennio ante illius præfecturam Germanicam, quadriennio ante eiusdem cum exercitu in Germania cladem.

Cæterum neci Alexandri & Aristobuli filio-

filiorũ ab Herode perpetratæ circiter biẽnio post natale Christi, Lamiæ & Seruilij consulatu restitutum, conuenit ille Augusti sarcasmus, quem refert Macrobius, Saturnaliorum libro secundo, capite quarto, his verbis. *Cum audisset* (Augustus) *inter pueros quos in Syria Herodes rex Iudæorũ, intra bimatum iussit interfici, filium quoque eius occisum: ait, Melius est, Herodis porcum esse quàm filiũ. filiũ dicere videtur, quia illorũ alterũ, Alexandrũ, neci ~~Pollionis~~ subtractũ fuisse, rumore vulgatũ posteà refert Iosephꝰ.* Verũ neq; Lacedæmonius ille hospes Euricles, cuius technis Alexander & Aristobulꝰ tandẽ pessundati sunt, (vt idẽ refert) adueniens in Iudæam post Herodis reditum postremum Româ, videtur ita breui tempore potuisse se insinuare in intimam familiaritatem cum tota Herodis discorde familia, vt intima animi cuiusque secreta expiscaretur, & tantam inde tragœdiam excitaret, neque occasiones moti ab Herode postremi belli Trachonitici & Arabici, eiusque administratio, & propter id apud Cæsarem accusatio, huiusque offensio, damnaque interim Herodis regno illata, quorum nullus apparet finis, tandem

que secunda legatione renouata Cæsaris amicitia, ante condemnatos Alexandrum & Aristobulum Saturnino præside, ac deinde condita contra Trachonitas castellum & vicus Bathyra, eiq; accersiti coloni Iudaici è Babylonia vsque, tum autem alia multa Antipatri machinamenta contra patrem in Iudæa cum Pherora Herodis fratre & eius vxore & alijs, atq, Romæ, ante ipsius condemnationem Varo præside, rursumq. pòst, nuncia ab Herode ad Augustum & ab Augusto ad Herodem: tanta celeritate transacta fuisse, quantam Suslygæ & præsertim Keppleri (qui in vnum annum ante mortem Herodis conferre cogitur quæ saltem triennium occupasse videantur) rationes flagitant. In similes autē angustias cogitur etiam Scaliger, statuens Christum natum autumno, tantum sesquianno ante Herodem mortuum, idq, solidis triginta octo annis pro triginta septem illis Iosephi ab ineunte vere consulum Domitij & Pollionis.

Iam quod ad obiectorum ex Iosepho posterius & neruosius attinet, de Caio Augusti adoptiuo filio ex Agrippa & Iulia filia sua suscepto, post mortem Herodis in

com-

concilium admisse: respondeo demùm videri saltem nomine tenus manifeste deceptum esse Iosephũ, alioqui verò verè scripsisse: quippe qui Caio id attribuerit, quod Marco Agrippæ Postumo, vt pote etiam ipsi, Velleio & Suetonio auctoribus, locis suprà allegatis, adoptiuo Augusti filio ex Agrippa & Iulia filia sua suscepto, reuerà conuenit. Is enim natus post mortem Agrippæ, quæ contigit Messalla Barbato & Sulpicio Quirinio consulibus, vt refert Dion, libro quinquagesimo quarto, anno proximo post adoptionem, virilem togam accepit, Cinna & Messalla cõsulibus, vt idem refert, his verbis. *Eodem anno, Agrippæ nullo eorum quæ fratribus obtigissẽt, petito, virilis toga data est.* Quod autem dicit, nullo eorum quæ fratribus obtigissent potitum: intelligẽdum videtur, neq; principem iuuentutis appellatum, neque Consulem quinti inde anni designatum.

Cæterùm quod idem refert, circa finem consulatus Neruæ & Metelli, ipsum tandem in planasiam insulam ab Augusto relegatum esse: id quidem factum apparet ad vitandam æmulationem sobolis nouercæ Liuiæ nempe Tiberij, ciusq. filio-

rũ adoptiui Germanici, & naturalis Druſi: non tamen ſine ſpe reſtitutionis, quẽ admodum ſignificat ipſe Dion, libro ſequente, ita ſcribens. *Caterùm Auguſtus ex morbo deceſſit, ſuſpectâ nonnihil Liuiâ, quaſi eius fraude obiiſſet. etenim ad Agrippam Auguſtus clam vxore in inſulam tranſmiſerat: videbaturq, tam ipſi Agrippæ quã aliis omnibus omnino cum eo in gratiam rediturus. veritam itaq, Liuiam, ne eum reduceret Auguſtus ac Imperium ei traderet, ficus quaſdam in arboribus adhuc pendentes, quas Auguſtus ſua manu decerptas comedere conſueuiſſet, veneno infeciſſe, eiq, medicatas carpendas obtuliſſe, ipſam ſanas ediſſe ferunt.* Similiter autem Tacitus initio primi libri Annalium. *Hæc atq. talia agitantibus graueſcere valetudo Auguſti: & quidam ſcelus vxoris ſuſpectabant. quippe rumor inceſſerat, paucos ante menſes, Auguſtum, electis conſciis, & comite vno Fabio Maximo Planaſiam vectum, ad viſendum Agrippam: multas illic vtrimque lacrymas, & ſigna charitatis ſpemq. ex eo fore vt iuuenis penatibus aui redderetur. quod Maximum vxori Marciæ aperuiſſe, illam Liuiæ; Caium Nasicam id Cæſari. neq. multò poſt*

post extinctũ Maximo, dubium an quæsitâ morte, auditos in funere eius, Marcia geminũ semet incusantis, quod causa exitij marito fuisset. Et paulò posteâ. Primum facinus noui principatus (Tiberij) fuit, Postumi Agrippæ cædes. Itidem Suetonius in Tiberio, capite vicesimo secũdo. Excessum Augusti non prius palàm fecit, quàm Agrippa iuuene interempto. Itidemq. Dion, initio libri quinquagesimi septimi. Agrippam statim misso à Nola percussore necauit. Hunc itaq. Agrippam apparet fuisse illum Augusti filium adoptiuum ex Agrippa & Iulia filia sua genitum, cui Iosephus Augustum in concilio habito Romæ ob filiorũ Herodis mortui contentionem de regno eius, primum locum tribuisse, (Tiberio tunc absẽte in administratione belli Germanici siue Illyrici,) dicere voluerat, vel debuerat saltem. Post id autem tempus mortis Herodis & eam contentionem Philippus eius filius, in sua tretrarchiâ cõdidit Iuliadẽ vrbem denominatam à Iulia ~~Eadem vrbem denominatam à Iuliâ~~ Augusti filiâ, postquam ea iamd udùm ex insula in continentem à patre restituta & leuioribus conditionibus habita erat. cuius

P. P.

in integrum restituendæ gratia adeò mirum in modum Augusto adulatum esse populum Romanum auctores sunt Suetonius, ac præsertim Dion libro quinquagesimo quinto, vt planè nihil argumenti reliquum fiat Suslygæ & Kepplero, conatibus hinc probare Iuliadem à Philippo Tetrarchâ conditam, ideoq; Herodē eius patrem diutiùs mortuum fuisse antę relegatam Iuliam. vt taceam Liuiam etiam apud Iosephum, verbi gratiâ, Antiquitatū libro decimo septimo, capite decimo, appellatam esse Iuliam, idq. antè Herodis, ne dicam Augusti mortem.

CAP XV.

POrro autem aliud euidentissimum argumentum multorum errorum suorum admissorum in chronographiâ principatus Herodis, eiusq; filiorum, & Romanorum præsidum Syriæ & Iudææ ijsdem temporibus, suspeditat ipse Iosephus: quatenus suprà memorato initio tertij capitis decimi octaui libri Antiquitatum, scribit *Censum illum quo Quirinius Syria præses Archelai relegati facultates venditat in fiscum*

scum redegit, incidisse in annum tricesimũ septimum Actiaca victoria Cæsaris Augusti. Si quidem necesse est hunc Cẽsum fuisse trium illorum ab Augusto actorum postremum: quandoquidem secundus, vt suprà demonstratum est, peractus sit Lustro condito, Aelio Cato & Sentio Saturnino consulibus, id est, anno Actiacæ victoriæ tricesimo quarto: & quidem iuxta sacram Euangelicam historiam, Herode rege Archelai patre adhuc viuente. tertij verò & postremi Census, ab Augusto cum Tiberio collegâ acti conditum est Lustrũ Pompeio & Apuleio consulibus, anno autem Actiacæ victorię quadragesimo quarto, pauxillò ante mortem Augusti. quod præter Ancyranum monumentum cuius verba suprà protuli, manifestè testatur Suetonius, suprà item dicto nonagesimo septimo capite vitę Augusti, his verbis. *Mors quoque eius &c. euidentissimis ostentis præcognita est. quum Lustrum in campo Martio magna populi frequentia conderet, aquila eum sæpius circumuolauit: transgressa in vicinam ædem, super nomen Agrippæ ad primam literam sedit. quo animaduerso, vota quæ in proximum Lustrum suscipi*

cipi mos est, collegam sumsit Tiberium nuncupare iussit. nam se quanquam conscripta paratisq. iam tabulis negauit susceptura quæ non esset soluturus. Itemque vicesimo primo capite Tiberij. *Ac non multò post, lege per consules lata, vt prouincias cum Augusto communiter administraret, simulq. Censum ageret: condito Lustro in Illyricum profectus est. & statim exitinere reuocatus, iam quidem affectum, sed tamen spiritum adhuc Augustum reperit: fuitq. vnà secreto per totum diem.*

Hinc itaque demùm liquidò apparet, multiplex initium, non modo regni Herodis, sed etiam Imperij ac Monarchiæ Augusti, ansam erroris Iosepho præbuisse. erat enim reuera ille annus tricesimus septimus absolutè monarchici Imperij Augusti, non quidem ab Actiacâ victoriâ vt putauit Iosephus, sed à suscepta nono post eam anno Tribunitia illa omnium suprema & sacrosancta potestate. qua de Tacitus, libro tertio Annalium, sub consulatu Sulpicij & Haterij ita scribit. *Tiberius fama moderationis parta quòd ingruentes accusatores repressérat, mittit literas ad Senatum, queis potestatem Tribuni-*

tiam

nam Druſo petebat. Id ſummi faſtigij vocabulum Auguſtus reperit, ne Regis aut Dictatoris nomen aſſumeret, ac tamen appellatione aliqua cætera imperia præemineret. ita Tacitus. ſimiliter Dion, libro quinquageſimo tertio agens de Imperatorum titulis, inquit. *At Tribunitia poteſtas, quæ præclariſſimus quiſque Imperator olim accepit, efficit vt intercedere ijs quæ ab aliis contra ipſorum placitum mouentur poſſint: itaut ſacroſancti ſint, ita vt ſi vel minimo, vt dicam facto, ſed verbo ſe ab aliquo læſos exiſtiment, eum indicta cauſa, tanquam qui ſe piaculo obſtrinxerit, necare queant. gerere quidem nomen Tribuni plebis nefas duxerunt Imperatores, quum vtiquè ipſi patritij ſint: omnem verò Tribunitiam poteſtatem, quanta vnquam maxima fuit, accipiunt: & iuxta eandem, Imperij quoque ſui numerant annos, quaſi quotannis & ipſi cum Tribunis plebis eam ſuſciperent.* Suſcepit autē eam primò Auguſtus ſuo vndecimo & Piſonis conſulatu: quemadmodum refert idem Dion, fine libri quinquageſimi tertij his verbis. *His ſingulis ordinatis, in Albanum exijt, ac conſulatu ſeſe abdicauit. &c. Laudatum eſt hoc eius factum: idq;*

etiam, quod in suum locum subrogauit Lucium Sestium, qui vir semper Bruti rebus fuerat, &c. Eapropter Senatus Augusto hos honores decreuit, vt Tribunus plebis perpetuus esset: vt quoties Senatus haberetur, etiamsi consul non esset, de quibuscunque rebus, quicquid vellet sancire posset: vt proconsulare imperium semper haberet, neque id intra pomœrium veniens deponeret, aut renouando opus haberet, vt maior ipsi in prouincijs, quàm præfectis eorũ semper esset potestas. Inde exortum est, vt Augustus, quique eum secuti sunt Imperatores, quasi consuetudinis ac dicis causa, cùm aliis, tum Tribunitia potestate vterentur. nã Tribuni plebis nomẽ, neq. Augusti, neq. vllius alius Imperator gessit. Ita Dion. Nimirùm ex eo Imperatores, annos Imperij sui, per Tribunitię potestatis annos, atq. ex die eius susceptę numerare cœperunt, vt in Fastis notatum est.

Augusti autem quando excessit, numeratum fuisse annum Tribunitię potestatis tricesimum septimum, Tacitus libro primo Annalium in narratione funeris eius testatur his verbis. *Numerus etiam consu-*

la-

luum celebrabatur quo Valerium Coruinum & Caium Marium simul aquauerat: iiiinnata per septem & triginta annos Tribunitia potestate: id est, ad inchoatū ipsius annum tricesimum septimum, quum videatur eam primò suscepisse die quinto ante Calendas Iulias, quodie Tiberio adoptato eandem communicauit: mortuus autem fuerit decimoquarto Calendas Septembres. atq. hoc idem constat è marmoreis fragmētis veterum Fastorum publicorum, quibus consulatus Silij & Planci refertur incidisse in Augusti Tribunitiam potestatem tricesimam quintam, ac Tiberij decimam quartam. Atq; hinc nimirùm manifestum fit, Iosephum, tanquā natione Iudæum, qui haud penitùs explorata & perspectam habuerit illius Romanæ appellationis, videlicet potestatis Tribunitiæ, vim & originem: quum Imperatorum insequentium suo seculo idē Tribunitiæ potestatis & Imperij initium censeri cognosceret, ac præsertim quum Tribunitia potestas Augusto oblata (licet ab eo haud accepta) fuisse videatur statim post interfectum Antonium, quemadmodum refert Dion, libro quinquagesimo

primo: hinc, inquam, manifestum fit, Iosephum retulisse initium Tribunitiæ potestatis Augusti, cuius anno tricesimo septimo Cæsum illum in quem incidit relegatio Archelai, tabulis publicis consignatum reperit, ad tempus deuicti à Cæsare Actiaca pugna Antonij, tanquam nō modò ad primum, sed etiam ad vnicum initium Monarchiæ eius, & hac potissima erroris occasione anticipasse fermè nouenos annos regni Herodis eiusq. filiorum Archelai & cæterorum, alijsq. anticipandi ansam dedisse: quandoquidem Augustus primam Tribunitiam supremam & sacrosanctam absolutęq; monarchiæ potestatem, nono coeptæ ab Actiacâ victoriâ monarchiæ anno susceperit.

Neque verò est cur quenquam turbet, quod Archelai relegatio suprà relata ad anno Imperij Tiberij secūdo exacto post mortem Augusti: quum Iosephus eum à Cæsare Augusto relegatum referat. id enim ex eo contigit, quod Tiberius in Imperij negotijs actisq. publicis, Cæsaris Augusti nomine vsus sit: vt pote ab eo iamdudum in filiū adoptatus & Imperij collega declaratus, atq. Testamento cum Liuia

uia matre *hæres primus institutus, & nomē eius ferre iussus*, vt refert Suetonius postremo capite vitæ Augusti. quod autem idē in Tiberio, capite vicesimo, inquit: *Ac ne Augusti quidem nomen, quanquam hæreditarium, vllis nisi ad reges & dynastas epistolis addidit*: satis innuit missis ab eo ad dynastas epistolis vel mandatis nomen Cæsaris Augusti adhiberi solitum. Porro autem quod hoc pacto consequitur Census in Syria & Iudæa actos esse ferme biennio post Lustrum ab Augusto & Tiberio conditum: hoc nimirùm confirmat id, quod ego suprà posui, hoc & præcedente Censu primum nouo quodam ritu capitū recensionem & facultatum æstimationē à census siue tributi solutione fuisse tempore distinctas: vnde factum, vt ipse Dion neutrum pro ordinario Censu habuerit. Cuius rei locuples testis fuerit Tacitus, libro primo Annalium, in narratione seditionis legionum Germanicarum post mortem Augusti, ita scribens. *Regimen summæ rei penes Germanicum, agendo Galliarum censui intentum.* Ac paulo post initium libri secūdi, prænotatis Statilio Tauro & Scribonio Libone consulibus, ita. *I-*

gitur huc intendit, (*Germanicus*) missus ad census Galliarum Vitellio & Cantio. Itaque quo tempore Tacitus testis omni exceptione maior asserit census actos fuisse in Gallia: eodem tempore, vt pote iisdem Tauro & Libone cōsulibus, apparet Quirinium agentem census in Syria & Iudæa, Archelai relegati patrimonium venditi in fiscum redegisse: biennio post Lustri censis populi Romani capitibus ab Augusto confestim mortuo & Tiberio conditum, & eius ratione Censum in Tabulas publicas relatum anno Tribunitiæ potestatis Augusti tricesimo septimo.

Sed vsque adeone duorum posteriorum & potissimorum Censuum Cæsaris Augusti, Quirinij in Syria & Iudæa, operarctorum, apud Iosephum cōfusa sunt tempora: vt prorsus nulla prioris apud eum distincta appareant vestigia? imò sagaciter indagāti appareāt nōnulla. Enimuerò Quirinium fuisse præfidem Syriæ, ac Censum in Iudæa egisse sub postrema tempora regis Herodis, perinde ac tempore relegati filij eius Archelai, colligere licet è summorum Sacerdotum mutationibus relatis apud eundem. namque Antiquitatum libro decimoseptimo capite sexto, in

scribit. *Socero quoque* (Herodes) *Simoni Boethi* (qui in Anaueli locum surrogatus fuerat) *sacerdotio priuato, subrogauit Matthiam Theophili filium.* Octauo autem capite ita. *Herodes in cæteros mitior, Matthiæ Pontifici ademit Sacerdotium, quasi non alieno ab hoc consilio, eique successorem dedit fratrem uxoris sua Ioazarum.* Initio autem capitis decimiquinti & postremi eiusdem libri, ita. *Archelaus vero Ethnarcha in Iudæam reuersus, Ioazaro Boethi filio Pontificatum abrogat, insimulato quod seditiosis cõsenserit: eamq; dignitatem in Eleazarum illius fratrem confert.* Paulò autem posteà. *Nec Eleazarus diu Sacerdotio potitus est, subrogato in viuentis locum Iesu Sia filio.* Verum initio libri decimioctaui, postquam narratum legationem Quirinij Syriæ præsidis & Coponij Iudææ procuratoris in Iudæam ad peragendos ibi Census: addit. *Illi verò* (nempe Iudæi) *tametsi primum ægrè ferrent mentionem descriptionis, non sunt tamen reluctati pertinaciter: parendo auctoritati Pontificis Ioazari, qui Boëthi fuit filius, atque ita illius suasu, sine controuersia Census peractus est. Extitit tamen pòst, quidam Iudas Gaulanites, &c. qui sollicitato populo*

lum ad defectionē: Censum nihil aliud quàm manifestam seruitutis professionem, dicitans. &c. Porro initio capitis tertij, inquit. *Quirinius autem Archelai facultatibus venditis, &c. cum mota esset contra Ioazarum Pontificem plebis seditio, priuato eo hac dignitate substituit Ananum Sethi filium.* Posteà verò ita. *A Tiberio quinto Iudæorum præses missus est in Annij Rufi locum Valerius Gratus. Hic adempto Anano Sacerdotio Ismaelem Fabi filium Pontificem esse iussit. quo paulò pòst deiecto, in Eleazarum Anani Pontificis filium eum honorem transtulit. elapso deinde anno & hoc redacto in ordinem, Simoni Camithi filio Pontificatū tribuit. Hic quoque anno in ea dignitate exacto, iussus est ipsam ovedere Iosepho qui cognominabatur Caiaphas. His aliis Gratus Romam repetijt, exactis in Iudæa annis vndecim: cui deinde Pontius Pilatus successor missus est.* Porro de Anano illo idem, *libro vicesimo, capite octauo, ita scribit. Seniorem illum Ananum aiunt fuisse omnium felicissimum, vt qui filios habuerit quinque, omnes potitos summo Dei Sacerdotio: cum priùs ipse hac dignitate ad satietatem (πολλῶν, plurimo tempore,) perfunctus esset.* Ita

Ioſ.

Io-

Iosephus. igitur significat Herodem regem ante mortē suā summū Sacerdotem constituisse Ioazarum fratrem vxoris suæ, nempe filium Simonis Boethi soceri sui, quem Simonem Boethi siue Boethum, cum tribus deinde filiis, videlicet Ioazaro hoc, & Eleazaro, & Simone Canthara, gessisse summum Sacerdotium asserit libro decimonono, capite quinto. significat porro eiusdem Ioazari, nimirùm adhuc, neutiquàm verò bis summi Sacerdotis, quod videtur alioquin haud dubiè fuisse annotaturus, quemadmodum annotat superius libro decimoquinto, capite tertio, Herodem Ananelum post extinctum Aristobulum iuuenem Pontificem Hyrcani nepotem iterum cōstituisse summum Sacerdotem, & infrà, libro decimonono, capite sexto, Agrippam voluisse constituere Ionathanem (qui Caiaphæ successit) iterùm post Theophilum & Cantharam: significat inquam, eiusdem Ioazari adhuc summi Sacerdotis suasu & auctoritate Iudæos absq. pertinaci reluctatione vel controuersia pertulisse actum à Quirinio cēsum cuius mentionem primùm ægrè tulerat, atque eundem Ioazarum ab Arche-

lao, Principatus sui initio coactum esse cedere summi Sacerdotij munus Eleazaro fratri suo, atque hunc deinde alij, quibus significatis nimirùm idem plusquàm probabile facit, Censum illum Ioazari summi Sacerdotis persuasione absque seditione toleratum, peractum fuisse ante Archelai Principatum, ac fuisse planè alium ab eo, quo secundum eius relegationem peragido Iudas Gaulanites siue Galileus seditionem mouit: ideoque Simoni Boethi in summo Sacerdotio Matthiam, Matthiæ autem ipsum Ioazarum successisse antè quàm ille significat, ac Ioazarum (utiquàm eo priuatum esse, à Quirinio qui illius potissima opera Censum absque controuersia peregerit, verùm Ananum siue Annam post Ioazarum eiusque fratrem Eleazarum Iesu Siæ filij successorem summum Sacerdotem fuisse per maximam partem Principatus Archelai, vtpote quidiu summo Sacerdotio functum esse ipse quoque auctor sit; Anano autem Valerium Gratum abrogasse Pontificatum secundi Census fine, ac præfecturæ suæ initio, fermè biennio Imperij Tiberij transacto; ita vt etiam Marcus Ambiuius, &

post

post eum Annius Rufus, de quibus tanquã Iudææ præsidibus ante Gratum ibidem loquitur Iosephus, fuerint Cæsaris procuratores in Iudæa, gerente adhuc Principatum Archelao perinde ac summum Pontificatum Anano, (quemadmodum Antipater sub Hyrcano Ethnarchâ, nec non Fabatus regnante Herode, iuxta eundem primo libro Belli Iudaici capite decimo-octauo.) Coponius autem, vtriusque Census tempore sub præside Syriæ Quirinio.

Huic autem nostræ chronographiæ referenti Ioazarum summum Sacerdotem ad tempus primi Census Quirinio Syriæ præside in Iudæa acti, quo natus est Christus, suffragatur Chronographia Nicephori Episcopi Constantinopolitani: cuius catalogus summorum Sacerdotum Israelis, quoad ea tempora ita habet. *Simon Boethi socer Herodis. Matthias Theophili. Ioazar* (πενθερὸς) *filius soceri Herodis: sub quo natus est Christus. Eleazar.* &c. Atque hactenus etiam de posteriore parte secundæ notationis temporis natalis Christi, adhibitæ à Luca, nempe primo in Iudæa acto Censu præsidente Syriæ Cyrenio.

Atque hactenus denique dictum sit de

anno quo natus fuerit Christus, quem ex declaratis & demonstratis apparet fuisse triceſimum tertium regni Herodis & monarchiæ Augusti ab Actiaca victoria, quadriennio præcedentem Herodis mortem: medium ſecundi & medij ſed primi extraordinarij Cenſus vniuerſalis ab Auguſto acti, conſulibus Ælio Lamia & Seruilio Gemino, cœpti verò precedentibus Vinicio & Alſinio, finiti autem Luſtro condito ſequentibus Ælio Cato & Sentio Saturnino: annum Imperij Cæſaris Auguſti ex vnica vulgò vſitata epocha annorum eius ante Actiacam victoriam, quadrageſimum primum, ipſius autem appellati Auguſti triceſimum, ac proximè præcedentem Tiberij ab Auguſto adoptionem ad Imperij conſortium: quo, Caio Cęſari iuueni malè ſano & deſipienti ejuſq. rectori Quirinio tunc primum præſidenti Syriæ, ad Cenſus peragendos ſucceſſor miſſus eſt Sentius Saturninus. Erat autem idem annus, ſicut quadrageſimus primus æræ Cæſaris Octauiani Hiſpanicæ, ita quinquageſimus primus æræ Iulij Cæſaris Antiochenę, Romæ autem conditæ ſeptingenteſimus quinquageſimus primus, iuxta anti-

quiſſi-

quissimum & verissimum (vt aliàs demõstraui) calculum Fabij Pictoris, statuentis eam conditam sub initium Olympiadis octauæ, post octo & viginti annos ab earũ epocha, in quẽ annum Vrbis conditę iuxta Varronis calculum, Cęsar Baronius & Iosephus Scaliger natale Christi conferunt, vtpote in consulatum Lentuli & Messallæ, proximè præcedentem Augusti decimumtertium & Syluani, quo Epiphanius, auctore vt apparet Eusebio, Christũ natum statuit: quum Sulpicius ipsum natum retulerit consulatu Caluisij Sabini & Crispini Rufi, vtpote tricesimo tertio ante illum Fusij Geminj & Rubellij Geminj, ac decimum quintum annum Tiberij, quo eundem crucifixum manifesto errore auctore Tertulliano suprà allegato octauo capite libri aduersus Iudæos, retulit: pro quo consulatu Caluisij Sabini & Crispini Rufi, Hippolytus Martyr, Annianusq; & Panodorus & Maximus antiqui Monachi in excerptis Georgij Syncelli apud Scaligerum, animaduersionibus in Eusebij Chronicon, accepisse videantur illum Poppæi Sabini & Sulpicij Camerini, duodecim annis posteriorem: inter quæ duo

extrema medius, nempe sexennio ante alterũ, itemq. sexennio post alterum, consulat. Ælij Lamiæ & Seruilij Gemini, in quẽ nostræ rationes natale Christi conferunt, examussim conuenit.

CAP. XVI.

TEmpestatẽ anni qua natus sit Christus, multoq; magis mensem & diem definire velle, vereor ne videatur curiosi quàm vtilius. Itaque quum varię antiquorum patrum christianorum ea quoque de re fuerint opiniones, præter eam nostro seculo natam, qua Christus natus statuitur autumno, mense Septembre aut Octobre, infimę antiquitatis, atque inani argumento opinione vulgi concepta est ea, annis ferè quadringentis post natum Christum, temporibus Chrysostomi Episcopi Constantinopolitani, vt paulò ante significaui, & Ambrosij Mediolanensis, apud quos prima repe-itur eius mentio; quæ natum Dominum refert die octauo calendas Ianuarij siue vicesimoquinto die Decembris, tanquam anni Iuliani cardine siue

solstitio brumali. paulo autem antiquior ea, quam à plerisque suo seculo receptam significat Epiphanius, suprà memorato loco contra hæresim Dementium scribés, *Ipsum natum fuisse circa Ianuarium mensem hoc est ante diem octauum Idus Ianuarij, qui est secundum Romanos mensis Ianuarij dies quintus,* (imò *sextus*, vt nō ita multo pòst dicitur,) *secundum Aegyptios Tybi vndecimus, iuxta Syros siue Graecos,* (seu potiùs Syrogræcos,) *Audineos sextus*: &c. atque etiā ipse chrysostomus, homilia de natiuitate Domini, iuxta Latinam editionē ita scribens. *Alij putant quod in Epiphanijs nascitur Christus, non damnamus aliorum opinionem, nostram sequimur doctrinam, vnusquisque in suo sensu abundat, & forsitan reuelabit vnicuique Dominus*: &c. Antiquissima vero sententia fuisse videatur illa apud Clementem Alexandrinum, primo libro Stromatum, quæ christum natum statuit vicesimoquinto die Pachon mensis Ægyptiorum Augustani, id est, vicesimo die Maij Iuliani, vel vno mense prius. satis vetò sit significare, mihi hanc videri tutissimam & verissimam vel certè veræ proximam, quæ antiquissima. clementis verba

quæ partim etiam suprà protuli, hęc sunt. *Sicut autem qui curiosius natali Domini non solùm annum sed etiã diem assignant: quem referunt, vicesimo octauo anno Augusti, vicesimo quinto die mensis Pachon. Basilidis autem sectatores, eius quoq. baptismi diem celebrant, totã præcedentem noctem in lectionibus transigentes. dicunt autem eum esse quintumdecimum annum Tiberij, quintumdecimum mensis Tybi. Aliqui autem vndecimum esse vndecimum eiusdem mensis. Et de passione eius subtilius differentes, aliqui quidem sextodecimo anno Tiberij Cæsaris, vicesimoquinto die Phamenoth, alij verò vicesimoquinto die Pharmuthi, alij autem Pharmuthi decimonono dicunt passum esse Dominum. Quinetiam dicunt ex ijs aliqui, tum natum esse vicesimoquarto vel vicesimoquinto die Pharmuthi.* Hæc Clemens Alexandrinus: qui claruit intra annos ducentos à natiuitate Domini.

Ac sanè verisimillimum est, Romanũ Præsidem, in edicendo Censu illo primo extraordinario, obseruasse illud, quod ipsi Cæsari Augusto maximè curæ fuisse significat Dion, vt minimè molestus esset subditis, nequid turbarũm darent, aut seditionem

nem mouerent: ideoq; edixisse eum commodissimâ itineribus suscipiendis anni tempestate, nempe adulto vere, quæ tempestas, ita, per se commodissima, Iudæis etiam quàm alijs populis insuper duplice ratione fuit commodior: tum quod eorum messis tũc proximè peracta erat, tum quod proximè instaret festum Pẽtecostes quo alioquin omnes virilis sexus lege Mosaicâ tenerentur Hierosolymis conuentũ agere. itaq; apparet hanc fuisse longè commodissimam tempestatem edicendo & agendo Censui in Iudæa. Neque verò vlli alij anni tempestati æquè conuenit ac veræ, quod refert Lucas, natali Domini nocte *Fuisse pastores in eadem regione excubãtes & obseruantes vigilias noctis super gregem suum*: quandoquidem pecorum quæ semestri hyberno in stabulis, æstiuo autẽ sub dio pernoctare per eas regiones consueta essent, fœtus etiam tunc essent teneri, & noxia quoque animalia pleramque partem eadem tempestate fœtus teneros haberent, ac ob eandem causam tunc solito magis rapacia noxiaq; essent, ideoq; tunc præcipuè pastores noctu super gregẽ suum excubijs agendis opus haberent. x

Porro autem natali Domini constituto in die vicesimoquinto Pachon aut Pharmuthi, id est, vicesimo Maij aut Aprilis, præcipuè conuenit Homiliæ Cyrilli Episcopi Alexandrini habitæ anno insequente concilium Ephesinum Oecumenicum quartum, ex codice Antonij Augustini, titulus huiusmodi: *Homilia Cyrilli Episcopi dicta in natiuitate Ioannis Baptistæ, Pharmuthi vigesima octaua Indictione prima.* Omnino enim pro Pharmuthi illic legendum esse Phaophi, nempe pro vicesimo tertio die Aprilis vicesimum quintum diem Octobris, manifestum fit ex adscripta prima Indictione, quæ incepit mense Septembre, demùm transacto integro anno post finem dicti concilij: atque ex eo quod homiliam illam ex argumento ipsius constet à Cyrillo habitam esse, post literas reconciliationis à Ioanne Episcopo Antiocheno datas ad ipsum Cyrillum, pariterq, (vt ex eiusdem Epistola ad Dynatum liquet) ad Maximianū Constantinopolitanum, atq. etiam ad Sixtum Romanum Episcopum: qui quidem Sixtus, mortuo Cœlestino decessore suo, octauo idus siue sexto die Aprilis, post

viginti

viginti dies demùm, nempe vicesimo sexto die Aprilis, Episcopus primùm, vt præter alios agnoscit etiam Baronius, creatus est. Itaque natiuitas Ioannis Baptistæ relata vicesimo octauo die Thaophi, siue vicesimo quinto Octobris, confert natiuitatem Christi in vicesimũ quintum diem pharmuthi, aut Pachon, id est, in vicesimũ Aprilis aut Maij, quam proxime: prout paulò plus minusue semestri inter eorum natalia interuenisse ex Lucæ historia manifestũ est. Quod autem apparet ex Actorum concilij Ephesini tomo sexto capite decimotertio editionis Peltani, homiliam à Paulo Episcopo Emiseno Ioannis Antiocheni legato, admisso demùm à Cyrillo ad comn. unionem, Alexandriæ habitam esse haud ita multo, scilicet haud amplius bimestri post illam Cyrilli, nempe proximè insequente vicesimo nono die mensis Chiac, id est, vicesimo quinto Decembris, tanquam natali Christi, quum Aegyptios anteà neutiquàm consueuisse natale Christi eo die celebrare vltrò testatur idem Baronius, ad annum Domini quadringentesimum tricesimum secundum, numero septuagesimo quinto: id eò

faciliùs paulo concessū esse apparet, quòd idem dies illo anno Dominicus fuerit, ideoq; alioquin Ecclesiasticę congregationi destinatus.

Denique, quod Ioseph̄us Scaliger, in postrema Appendice operis de Emendatione temporum, & primo capite tertij libri Canonum, in notis ad Ephemeridas Abiæ, & ad verum natalem Messiæ, (sumpta vt videtur occasione ex Matthęi Beroaldi opere Chronologico, quamlibet dissimulauerit,) ex Ephemerijs hieraticis siue stationibus aut functionum vicibus hebdomadicis viginti quatuor familiarū siue classium Sacerdotum, (quarum prima erat Ioiaribi, octaua autem Abiæ, ex qua fuit Zacharias pater Ioannis Baptistæ, de quibus, prioris libri Chronicorum capite vicesimo quarto,) putatis ab Encęnijs Iudæ Machabæi, celebratis vicesimo quinto die Iudaici mensis Casleu anni Seleucidarum centesimi quadragesimi octaui, de quibus quarto capite prioris libri Machabæorum, firmissimum argumentum à se deprehensum putat ad stabiliendum natale Christi in fine mensis Septembris aut initio Octobris: id ipsū quoque, quod meri-

merito sanè miretur lector, nostris aptius quam ipsius rationibus congruit. Siquidem anno centesimo quadragesimo octauo Seleucidarum, qui erat decimus quartus tertiæ periodi Calippicæ Syromacedonum, à Iudæis etiam vt apparet ex mẽsium collationibus apud Iosephum, cum illorum iugo vsu receptæ, Hyperberetæus Macedonicus & Tisri Iudaicus, veluti cõsequens est è declaratis decimoquinto & decimosexto capitibus Tractatus nostri de varijs Annorum formis, iniuit Calendis siue primo die Septẽbris Iuliani prolepticì: ideoq; vicesimus quintus dies Caslei Iudaici perinde ac Apellæi Macedonici conuenit vicesimotertio diei Nouẽbris, septimanæ autem primo, quo ipso die propterea videatur prima classis Ioiaribi ex restitutione Iudæ Machabæi qui etiam ipse eiusdem classis esset, functionem Sacerdotalem post Antiochi Epiphanis desolationem denuò iniuisse ac redintegrasse, atq. quinquagesimo die postea, nempe Ianuarij vndecimo, septimanæ item primo, octaua classis, dicta Abiæ, à quo tempore ad eundem diem ineuntis consulatus Vinicij & Alfinij (anno

secũdo post bissextilem verum item prolepticum) interuenit spatium annorum Iulianorum solidorum centum sexaginta quinque, comprehendentium dies omnino sexagies mille ducentos sexaginta sex, quibus diuisis in cẽtenos sexagenos octonos dies comprehendẽtes integros orbes hebdomadicarum viginti quatuor classiũ adiectisq; ad residuos centum viginti duos alijs diebus quadraginta sex, ad consũmandum orbem incompletum : deuẽtum fuerit ad vicesimum sextum diem mensis Februarij eiusdem consulatus, ac septimanæ itidem primum, quo vicissim Zacharias cum cæteris è classe Abiæ suam sacerdotij in templo functionem repetiuerit, quam vtique septimo die postea, mensis Martij quarto, septimanæ etiam septimo, nempe ipso Sabbato cõpleuerit. quo ipso die proinde, cum populus maiore frequẽtia ad Templum conueniisset, videatur Angelus Gabriel ex Dei mandato conceptionem filij Ioannis Baptistæ ei annũciasse. Etenimuerò ille ipse dies (quod animaduersione dignum) erat neomenia Xanthici siue Nisan proximè inituro anno vicesimo octauo quintæ periodi Calip-

lippicæ, id est, primus dies anni Iudaici ex vulgari Iudæorum eius seculi vsu. Porro autem sexto inde mense, nimirum ineunte, quemadmodum haud obscurè significat Lucas, (quod ipsum etiam omnino vult Scaliger,) missus idem Angelus Gabriel à Deo ad Mariam virginem, annunciauit ei conceptionem Iesu Christi: vtique neomeniæ mensis Gorpiæi siue Elul sexti mensis Iudaici, tricesimo die Iulij Iulianj, septimanæ autem primo, nempe illo posteà dicendo Die Dominico. Hinc verò putati nouem menses lunares (quibus femina vterum tulerit) consummantur, anni insequentis consulatus Aelij Lamiæ & Seruilij Geminj, ipso vicesimo die Maij vicesimoquinto die Pachon, atq; etiam ipso septimanæ primo, deinde nuncupãdo Die Dominico. erat enim eadem dies illa siue nouissima & prima desinentis mensis Artemisij Syromacedonum & Iudæi secundi vulgaris Iudæorum: at enim eadem ipsa dies erat vtique neomenia siue prima dies ineuntis tertij mensis naturalis iuxta nostras periodos tum Astronomicam octodefexcentenariam, tum Iubilaicam vndequinquagenariam, anni

ab orbe condito quatermilleſimi & ſeptimi. Atque hinc poſtremo, ſi quidem Scaligeri argumentum alicuius ſit momenti, conſequens eſt Dominum Chriſtum circumciſum eſſe octauo die Siuan tertij menſis Iudaici, verùm octauo die naturalis menſis tertij, ſeptimanæ itidem primo: id eſt, poſtridie quidem vulgaris Pentecoſtes Iudaicę, ipſiſſima verò tempeſtiuitate ac feſtiuitate veræ Pẽtecoſtes Moſaicę: veluti demonſtraui, Tractatus de varijs Annorũ formis capite tertio. Quapropter quod ſententia omnium antiquiſſima de die natali Chriſti, à Clemente Alexandrino relata, ſtatuit ipſum natum eſſe vicesimo quinto die Pachon, ſiue Maij vicesimo, cui iuxta noſtros calculos ad demonſtratum natalem illius annũ, examuſſim quadrat primus dies naturalis menſis tertij, perinde ac ſeptimanę primus: eandem perinde vt antiquiſſimam, ita veriſſimam, vel veræ proximam eſſe, ex ijs quæ iam dicta ſunt apparet.

CAP. XVII.

NVnc accedendum eſt ad notationes temporis baptiſmi coeptiq; ex eo publici

blici ministerij Christi, ab ijsdem sacrosãctis Euangelicę historiæ scriptoribus adhibitas: quarum prima & celebertima habetur illa Lucę, initio capitis tertij exposita his verbis. *Anno decimoquinto Imperij Tiberij Cæsaris, &c. factum est verbum Domini ad Ioannem Zachariæ filium, in deserto. Venit igitur in omnem regionẽ circumiacentem Iordani, prædicans Baptismum resipiscentiæ ad remissionem peccatorũ vt scriptum est in libro sermonum Esaiæ prophetæ dicentis, Vox vociferantis in deserto Parate viam Domini, complanate semitas eius.* Quibus verbis Lucas designat tẽpus cœptę quidem promulgationis Euangelij à Ioanne Baptistâ præcursore Christi, neutiquàm verò ipsius baptismi, Christi, tempus inquam post quod demùm baptizatus est Christus, neutiquam verò quo baptizatus est, vt vulgo putatur.

Quod autem attinet ad anni tempestatem quâ cœpta est Euangelij promulgatio: quum nemo veterum, quod sciam, cã definiuerit, quidam recentiorum arbitrati sunt fuisse primum diem Tisri septimi mensis Iudęorum respondentis mẽsi Septembri Romanorum, tribus uel quatuor

rationibus moti: sed quarum nulla videtur esse satis firma. Namque prima petita à conuenientia initij decimiquinti anni Imperij Tiberij decimonono die Augusti mensis precedentis, infirma est, eo, quod Lucas ponens annum decimumquintum non magis initium quam medium eius designet. Secunda ducta à typica significatione festi Clangoris tubarum lege Mosaica celebrati eo die, non valet, quia tametsi apud Esaiam, & alibi, elata prophetę proclamantis vox tubę comparatur, tamen non confirmatur Ioannis Baptistæ predicationem significari typo illo vel solummodò & singulariter, vel precipuè, vel omnino, quum alij alias eiusdem typi significationes commẽti sint. Tertia ducta à significatione item typica solennis lustrationis & Expiationis obseruatę decimo die eiusdem mensis, tanquam Christi baptizatione eodem die facta à Ioanne in Iordane, & ipsa inualida est, quia & spatium precursus Ioannis Baptistę eo statuitur lõge breuius iusto, nec vlla ferè apparet analogia inter typicas cęremonias illius dici & Christi baptizationem, sed omnis inter illas & ipsius sacrificium in cruce ob-

bla-

blatum, quo patefactus est aditus in adyta illa vera Sancta Sanctorum, nempe cœlos quemadmodum interpretatur Apostolus Epistola ad Hebræos. ac sane ad baptismū Christi analogiam multo manifestiorē habet decimus dies mensis primi, quo vniuersus populus Israeliticus duce Iehoshua typicè baptizatus est in transitu Iordanis, quemadmodum anteà Mose duce in transitu maris Erythræi. neq; tamen vllus vel veterum vel recentiorum, quantū intelligo, Christi baptismū ad eum diem retulit. Quarta denique ratio, petita à publica denuntiatione anni Iubilei, tanquā continuo insequentis, secundum Legem facta decimodie septimi mensis, quo baptizatus sit Christus, decē diebus post cœptam prædicationem Ioannis, præter labes contractas à præcedente, etiam quemadmodum à quibusdam ipsorum adhibetur hactenus est infirma, quatenus Iubileorum interualla solidis quinquagenis annis definiat, quę vndę quinquagenis, vt pote septies septenis siue septem septimanis siue sabbatis annorum constabant, ac ne sic quidem vel chronologicis argumētis satis confirmetur, vel præstantiorum

chronologorum, calculis satis comprobetur, quibus etiam omnium eiusdem opinionis auctorum calculus pluribus modis vitiosus deprehenditur, pariter ac institutum inane, quod eundem diem decimum mensis septimi, tanquam diem baptismi Christi, medium septuagesimę ac postremæ Hebdomadum Danielis ratiocinati sunt.

Quapropter haud iniuria quis censet Euangelium prędicari à Ioanne Baptista coeptum verna tempestate anni naturali ac Israelitico Diuina Lege sancito mense primo. primùm quia apparet antiquissimos patres Christianos principium Euangelij, licet haud omnes eodem modo intellectum, retulisse sicut ad decimũquintum annum Imperij Tiberij, ita ad consulatum Rubellij & Fusij Geminorum inceptum demùm post brumale, solstitium illius anni. deinde quia semestre æstivum erat magis idonea tempestas tum egressui populi ad audiendum Ioannem prædicitem in deserto, tum etiam incipiendo & exequendo Baptismi sacramento, præsertim iuxta veterem ritum, quàm semestre hyberuum: tertio autem, quia si, quod alij

arbi

arbitrati sunt, ad constituendum functionis illius initium, veterum typorum Baptismi exhibitorum tempestates respiciendæ sint: certè illustrissimi illius typi primo mense verno vel exhiberi primùm cœpti sunt, vt Nubes sub qua Deus eduxit Israelitas ex Aegypto, vel omnino contigerunt, vt transitus maris Erythræi ducatu Mosis, præsertim verò Iordanis fluminis transitus Iehoshuâ duce, die decimo mensis primi, quandoquidem & in ipso Iordane Ioannes Baptista idem Sacramentũ reuera administrauerit, & quidem præcipuè circa ipsum transitus locum, nempe Bethabaram, quem admodum eam vocẽ nonnulli è doctioribus interpretantur. quid quod eodem ferè tempore pariter ac loco, nempe postridie transitus Iordanis Gilgale, Iehosua Dei iussu renouauit Legale Sacramentum Circumcisionis, in cuius locum demùm successit Sacramentũ Euangelicum Baptismi?

Iam verò quod ad notationem temporis verbi Domini ad Ioannem Baptistam facti à Luca adhibitam attinet: Lucas vt modò dixi, ea tantum significat Ioannem decimoquinto anno Imperij Tiberij cœ-

pisse prædicare & baptizare, neutiquàm verò Christum eodem ãno baptizatum esse: non magis quàm Ioannem fuisse carceri traditum eodem anno, cuius narrationem proximè sequentibus exponit, ante ipsius Baptismi Christi, cuius historiam posteà demum subiungit. Quinimo tum cæteri Euangelicæ historiæ scriptores, tum præsertim ipse, passim significant Ioannem maiore temporis interuallo antecessisse Christum, vt quemadmodum apud ipsũ Angelus Gabriel dicit Zachariæ patri eius: *conuerteret corda patrum in filios, & rebelles ad prudentiam iustorum, vt paret Domino populum instructum*: qui etiam interim tametsi (vti scribit Ioãnes Apostolus) *nullum miraculum edidisset*, tamẽ adeò omnium oculos & animos in se conuerterat, tantamq; auctoritatem apud Iudæos comparauerat, vt iuxta verba eiusdem Lucæ, *expectaret populus & cogitarent omnes in cordibus suis nunquid esset Christus ille*: quod neutiquam profectò paucis diebus vel mensibus, vel vnico anno effeciſſe, quin potius à tenuioribus initijs paulatim incrementa feciſſe videatur. Neq; enim verisimile apparet, quod nonnulli autu-

autumant, populum nouitate partim sacramenti Baptismi, partim austerę vitæ Ioannis, cateruatim primâ famâ ad eum confluxisse: quum eodem tempore & ante eum in Iudæa extitisse referat tum *Hegesippus* Epiphanius, libro primo, capite decimoseptimo, *quotidiana baptizatione vti solitos ad purgationem peccatorũ*, tum *Essenos* Iosephus secundo libro belli Iudaici, non modo *quotidianis lauacris* itidem, sed etiam *magna in specie austeritate vitæ*, non sine *magna apud populum sanctitatis opinione, vti consuetos*: cuius sectæ habitus est celeberrimus ille Manahemus, qui Herodi regnum prædixit, quẽ propterea rex non solum ipsum, sed etiam Essenos propter ipsum religiosa de iis cõcepta opinione, in pretio habuit: vt idem refert, Antiquitatum libro decimoquinto, capite decimotertio. plerosque autem omnes suspicatos Ioannem (etiamsi è tribu Leui, vtpote sacerdotis filium, quòd eò magis mirum,) fuisse ipsum Christum, cõstat è concione Apostoli Pauli apud eundem Lucam in Actis Apostolorum, qui locus apprimè facit ad confirmandam nostram sententiam: vbi inquit Paulus, *Post-*

quum Ioannes prædicauerat ante faciem aduentus Christi baptismum resipiscentiæ omni populo Israelis, qui impleret cursum suum, dixit, Quem tandem suspicamini me esse? ego vero non sum ille, sed ecce venit post me, cuius non sum dignus qui soleas pedum soluam. Quod si Ioannes prædicauerat baptismum omni populo Israelis, atque impleuerat cursum ante aduentum, id est, ante Baptismum Christi, postquem adhuc integrum ferè annum prædicasse eum liquet ex Euangelio Ioannis Apostoli, sed ita vt sensim *minueretur, crescente Christo*, quemadmodum apud eundem ipse Baptista loquitur: omnino par est existimare totius illius cursus tẽpus fuisse haud paulò maius hoc residuo, ideoq; quum hoc proximè annum æquauerit, illud saltem biennium superauisse ac triennium saltem æquauisse, quo scilicet ipse sensim augeretur vsque ad Baptismum Christi, sicut sensim minuebatur posteà. Neque verò existimet quisquam Baptistæ cursum mensurandum esse pauculis illis quæ de eo tradiderunt scriptores historiæ Euangelicæ, præsertim Mattheus & Marcus, ante Baptismum Christi: quum ijdem omnes, excepto

cepto Ioanne Apostolo, etiam primum annum prædicationis Christi post Baptismum ipsius prorsus omiserint, (vnde quibusdam veterum patrum Christianorum vt Epiphanio, nata est opinio, Christum post Baptismum prædicasse tantummodò duos annos, imò nonnullis, vt Clementi Alexandrino, duntaxat vnum,) Lucas verò diserte affirmet Ioannem, ante baptizatum Christum, *Multa alia*, præter ea quę scriptis mãdata sunt, *exortatum euangelizasse populo!* Quod autem quidam obiiciunt, Ioannem Apostolum Euangelij capite primo, versu vicesimonono, dicere Ioãnem Baptistam, proximo die post solennem baptizationem suam, quasi tunc primò cœptam, vidisse Iesum venientem ad se, vtique quasi vt baptizaretur; non est verum. dicit enim, *post legationem Iudeorum missam ad Ioannem Baptistam*: quam missam esse post baptizatum Christum, circa finem quadraginta dierum tentationis eius in deserto, tum Epiphanius amplissimè capite sæpiùs allegato contra Hęresim Dementium, tum alij omnes, quos equidem viderim, Harmoniæ Euangelicæ interpretes confirmant.

Itaq; hæc est prima ratio sententiæ nostræ de Christo baptizato aliquot annis post cœptam Euangelij prædicationem, petita ab idonea & consentanea mensura cursus prædicationis Ioannis Baptistæ, *vt præpararet Christo omnem populum Israeliticum instructum, ante aduentum eius*, quandoquidem hoc, vno anno, vix aut ne vix quidem factum esse, vel fieri potuisse appareat.

Cap. XVIII.

SEcunda temporis baptismi Christi à Luca item adhibita notatio, est ætatis eius quando baptizatus est his verbis. *Ipse autem Iesus incipiebat esse quasi annorum triginta, filius, vt existimabatur, Ioseph, &c.* vel, *Ipse autem Iesus erat quasi triginta annorum incipiens, siue initiatus*, quomodo participium ἀρχόμενος, ab eo media voce vsurpatum significat, ita vt videatur dictum de cœpta à Baptismo publica functione illa triplici ministerij officij & muneris, nempe Prophetici, Sacerdotalis & Regij, ad quam Christus ante iacta mundi fundamenta destinatus erat, & propter quam tan-

tandem carnem humanam assumpserat, potiùs quàm de anno ætatis ipsius, vt multi intelligunt. sequentia verò verba sic cõiungenda, *ὡς ὠ ἐνόμιζετο*, apertè significant, *qui quidem existimabatur esse*, siue *habitus est filius Ioseph*, &c.

Etenimuerò apparet Christum baptizatum esse post mediũ anni naturalis Israelitici, vtpote octauo die Dij mensis Syro-græcorum, cui conuenerit Marcheſuan mensis octauus Iudæorum, iuxta Epiphanium contra memoratam hæresim Demẽtium, ac mensis Athyr Ægyptiorum, ac Nouember Romanorum. quę opinio probabilior est, quàm Pontificia à Baronio approbata, quæ baptismum Christi in sextum diem Ianuarij confert. siquidem refert Epiphanius eodem loco, Christum in conuiuio nuptiali in Cana oppido Galilęæ, edito primo miraculoso signo diuinitatis suæ mutatione aquæ in vinum, manifestam feciſſe gloriam suam, sexto die Ianuarij, vtpote cui conueniret dies vndecimus Tybi mensis Ægyptiorum Augustani, & quidem sexaginta diebus post Baptismum Christi, vnde appareat editum esse circa vndecimum diem Tebeth decimi

menſis Iudaici, cui item reſponderit Ægyptiacus Tybi. ſed & omnis antiquitas ipſum celebrauit, ipſaque adeo Romana Eccleſia etiam nunc celebrat quotannis eodem die, cantans, Hodiè vinum factum eſt ad nuptias: nec alij diei vnquam imputatum fuiſſe legitur. quare fruſtrà conatus eſt Baronius illud antiqua diei poſſeſſione deiicere, qui nec ipſe quidem comminiſci potuerit ad quem alium diem potius referret: vt Chriſti baptiſmum potiùs, eiuſdem Romanæ Eccleſiæ auctoritate, eodē die ſtabiliret. enimuerò conſentiens ſententia omnium ſeculorum & populorum Chriſtianorum ſtatuentium primū Chriſti miraculum editum hac tempeſtate, & quidem mēſe iuxta naturæ legem nuptiali, multo magis cōfirmauerit Baptiſmum adminiſtratum eſſe circiter duobus menſibus anteà, quo refertur ab Epiphanio, quàm quorundam Pontificiorum Romanenſium inconſtans ac vacillans, atque ſibi ipſi diſſentiens & repugnans opinio, ſtatuentium Baptiſmum pariter ac primum miraculum eodem die, arguerit hoc potiùs quàm illum referendum eſſe ad aliud tempus, quod nec ipſi quidem poſſūt de-

designare. Pontificiam verò hanc opinionem vel quorundam è Basilidianis hæreticis fuisse, vel certè ad illam Basilidianorum proximè, nempe intra quatriduum, accessisse, diserte affirmat Clemens Alexandrinus, primo Stromateo, verbis paulò superiùs allegatis. quod autem ait Baronius Origenem Epiphanio antiquiorem, homilia prima in initium prophetiæ Ezechielis, conferre Christi Baptismum in mensem Ianuarium, apparet illic legendũ esse non Ianuarium sed Iunium, vtpote quartum à Iudaico mense Paschali: quanquam inde suum Ianuarium, tanquà quartum ab Octobri collato cum Tisri Iudaico, expiscatus videtur Hieronymus, & Origenis opinionem eatenus incrustasse, cõmentario ad eundem locum, sed omnino inanis videtur ratio, qua vterque Baptismum Christi cõfert in quartum mensem, propterea scilicet quia Ezechiel quarto mense anni (nempe quarto à Paschali mẽse primo) prophetare cœperat. Quum igitur scribat Lucas Christum tempore Baptismi fuisse annorum quasi triginta: nimirùm significat eum tunc fuisse filium annorum triginta, quemadmodum loquun-

tur Hebræi, & locutus est Deus ad Mosem, libro Numerorum, de tempore assumendi Leuitas, nempe Christi Typos, ad legalium sacrificiorum ministerium, id est, egisse, & saltem quasi dimidia ex parte, neutiquam verò omnino (vt contendit Baronius) exegisse annum ætatis tricesimum: quemadmodum Lucam intellexisse videtur antiquissimus pater Irenæus, libro secundo contra Hæreses, capite vicesimo nono: perinde ac Epiphanius loco sæpius allegato, atque etiam Hieronymus initio dicti commentarij in Ezechielem, nec non Augustinus, libro secundo de doctrina Christiana, scribens in hæc verba. *Annorum quidem fere triginta baptizatum esse Dominum veritimus auctoritate Euangelica.* Neque verò Ignatius ille quo auctore siue genuino siue adulterino præcipuè vtitur Baronius, in Epistola ad Trallianos inquiens, *Christum tres annorum decades [illegible] id est in vita ciuili versatum siue degentem ciuilem vitam, baptizatum esse:* neque Chrysostomus, decima homilia in Matthæum scribens eundem *post triginta annos esse baptizatum*

zatum: quasi de totidem expletis & transactis necessariò sunt intelligendi. Nedum vt existimemus Christum tunc fuisse natum annos triginta tres, qui Iesuiticis Sufligæ atque etiam Mathematicis Keppleri rationibus consurgunt à quadragesimo primo vel quadragesimo anno Iuliano ad septuagesimum quartum vel tertium, ac decimumquintum Tiberij.

Atque hinc suppetit secunda ratio confirmandæ sententiæ nostræ de tempore baptizati Christi, videlicet eum baptizatū esse aliquot annis post decimum quintum Imperij Tiberij quo Euāgelium promulgari cœptum est. Siquidem natus est Dominus anno mundi conditi iuxta calculū nostrum quatermillesimo ac septimo, cōsulibus Ælio Lamia & Serulio Gemino, sequentibus Ælio Cato & Sentio Saturnino, medio tempore secūdi Census acti ab Augusto, primi autem acti per Quirinium in Syria, anno quadragesimoprimo Æræ siue Epochæ Cæsaris Octauiani præ cæteris vsitatæ, tricesimo tertio cœptæ ab Actiaca victoria monarchiæ eiusdem, pariter ac restituti confirmatique regni Herodis, quadriennio ante huius mortem, tri-

cesimo anno Cæsaris Octauiani appellati Augusti, atque anno proxime præcedente Tiberij ab Augusto adoptionem ad Imperij consortium : & quidem verna tempestate illius anni, iuxta antiquissimam sententiam apud Clementem Alexandrinū, quemadmodum clarè demonstratum est in præcedentibus. Iam verò à tempestate verna illius anni supputatus annus tricesimus circiter dimidia sui parte transactus, pertingit ad autumnum incepti decimi noni anni Imperij Tiberij Cæsaris post mortem Augusti, consulatu Cneij Domitij Ahenobarbi & Auli Vitellij eoq; mortuo Camilli Scriboniani ad finem tendēte. Vnde consequens est Baptismum Christi, indeq; eius publici ministerij initium tricesimo ætatis suæ anno proximè dimidio factum, neutiquàm anteuertisse hunc annum Tiberij. Verūtamen Ioannes Baptista triennio anteà prædicare & baptizare cœperit, anno ætatis suæ vicesimo septimo, etiamsi Leuita, imo Sacerdos, quandoquidē nec typus christi fuerit, nec Leuitico ministerio cæremoniali, nec Sacerdotali munere in templo functus sit. Erat autem anno illo baptizati christi, oct auus

dies

dies Dij & Marcheſuan, item iuxta noſtrã periodum Iubilaicam octaui menſis octauus, at iuxta Aſtronomicam nonus, Athyr autem Ægyptiaci quintus, ac Nouembris Romani primus, ſeptimanæ vero ſeptimus ſiue Sabbathum, quo maiore populi circa Ioannem Baptiſtam frequentia & congregatione chriſti Domini Baptiſmum & Manifeſtationem celebratam eſſe veriſimile eſt.

Tertia notatio temporis Baptiſmi chriſti adhibita ab omnibus præſertim vero tribus prioribus Euangelij hiſtoricis, eſt à diuina illa reuelatione & manifeſtatione eius facta eodem tempore, *dimiſſo cælitùs in ipſum Spiritu ſancto corporea ſpecie cum voce ſonante, Hic eſt filius ille meus dilectus, in quo acquieſco:* ad quod tempus nimirùm *manifeſtate iuſtitiæ æternæ, vnctique ſancti ſanctorum*, oleo Spiritus, *ad confirmandum multitudini* Iudæorum *fœdus* Euangelij prædicando & edendo miracula, à cœpta reſtaurari vrbem Hieroſolymorum, *vndeſeptuaginta ſeptimana* annorum cõplendæ erant, iuxta prophetiam Danielis, & earum interpretationem antiquitùs, ſecundum Euſebium, ſecundo capite octaui

libri Euangelicę demõstrationis, & Theodoretum commentario in nonum caput Danielis, omnium maximè in Ecclesiis Orientalibus receptam, vt ex Zonara etiã & Cedreno, aliisque apparet: quam item è recentioribus apud nos præcipui, Melanchthon in chronico, & commentario in Danielem, Foxius nostras in Oliua Euangelica, Paræus in Oratione chronologica, de Septuaginta Hebdomadibus Danielis, subiuncta explicationi prophetiæ Hosee, è Pontificiis etiam Pintus in Danielem, aliique amplexati sunt: atque adeo omnino omnes inde ab initio Ecclesiæ amplexaturos fuisse apparet, si aptum & conueniens tempus exitui decreti pro reædificatione vrbis Hierosolymorum inuenire potuissent. Reædificationem autem Vrbis Hierosolymitanæ, vnde Septuaginta Hebdomadum initium petendum sit intelligendam esse illam Nehemiæ operã instituta vicesimo anno Artaxerxis Longimani, constat item ex antiquissimorum patrum iudiciis consentientibus, nempe Iulij Africani apud Eusebium eodem loco & Hieronymum in Danielem, itemq; Chrysostomi homilia aduersus Iudæos se-

cun-

cunda alias tertia, & Theodoreti loco dicto, quorum sententiam deinde Ecclesiis itidem Orientalibus maximè receptam fuisse, ex recentioribus apparet: eandemq; in occidentalibus, secundum Bedam nostratem, libro de Natura rerum, & tertio Expositionis Esdræ, deinde ad nostrum vsque seculum plerique secuti sunt: adeo-que itidem omnino omnes ab initio absque controuersia secuturos fuisse apparet, si vllum vicesimum Artaxerxis annum, vnde vndeseptuaginta septimanæ annorum naturalium supputatæ, ad Baptismum siue Manifestationem Christi terminarentur, inuenire potuissent.

Itaque tertia ratio sententiæ nostræ de tempore baptizati Christi petitur à calculo vndeseptuaginta Hebdomadum Danielis: quibus iuxta antiquissimam & genuinam ipsarũ interpretationem, definitur interuallum temporis, ab edictâ siue instituta restauratione vrbis Hierosolymitanæ, ad reuelationem siue manifestationem ipsius Christi. Nam ab ineunte anno vicesimo Artaxerxis Longimani Persarum Imperatoris, qui Xerxe patre mortuo vel interfecto, imperare cœpit

anno secundo Olympiadis septuagesimæ septimæ, plus minùs semestri ante Themistoclis Atheniensis fugam in Asiam, auctore Thucydide, libro primo belli Peloponesiaci, collato cum Diodoro Siculo, ac viginti annis post prœlium Marathonium, idq; mox subsecutam mortem Darij Hystaspis, postquàm is imperauerat omnino vnum & triginta annos iuxta Ctesiam, velut latiùs explicui in libro de Emendatione Temporum: ab incunte, inquam, anno vicesimo Imperij Artaxerxis Longimani, autumno, quando Deus cœpit exequi decretum de reædificandâ vrbe Hierosolymitanâ operâ Nehemiæ, quemadmodum declaratur initio libri ipsius, numerati anni quadringenti octoginta tres, quæ sunt vndeseptuaginta septimanæ annorum, exactè complentur & consummantur autumno deciminoni anni Imperij Tiberij Cæsaris: cui anno anniq; tempestati proinde demùm conuenit manifestatio Christi, quæ facta est palàm missione Spiritus Sancti & voce Dei patris de cœlo, tempore baptismi ipsius; ita vt eodem tempore cum initio publici ministerij ipsius vnà iniret septuagesima & po-

postrema reliqua Danielis Hebdomas, *qua fedus multis confirmaturus esset.*

CAP. XIX.

QVarta notatio temporis coepti publici ministerij Christi, à Ioanne exposita, est huiusmodi. Primo post Baptismum *festo Paschatis Christus ascendēs Hierosolyma, quum inuenerat in Templo vendentes boum & ouium & columbarum, ac nummularios sedentes, flagello facto e funiculis omnes eiecit è Templo, atq. oues & boues ac argentariorum nummulos effudit mensasq. subuertit. Interrogantibus autem Iudaeis, Quod signum ostendis nobis vt ista facias? Respondens Iesus dixit Destruite Templum hoc, & tribus diebus erigam illud. dixerunt igitur Iudaei, Quadraginta & sex annis hactenus aedificatum est Templum hoc*: (ita enim significat verbū ἐῳκοδομήθη enunciatum aoristo tempore:) *& tu tribus diebus eriges ipsum? At Christus loquebatur de templo corporis sui.* Hactenus Apostolus. Ex illis autem Iudæorum verbis de annis ædificati Templi Hierosolymitani, suppediatur quarta ratio con-

firmandæ sententiæ nostræ de anno baptizati & reuelati Christi. Neque enim verba illa, de Templo ædificato sub Zorobabele intelligi possunt, vt multis visum præbitâ erroris occasione, vt ex Clementis primo Stromateo, Eusebij octauo libro Euangelicæ demonstrationis atque Chronico, & Hieronymi commentario in nonũ caput Danielis liquet, ab opinione solutæ captiuitatis Babylonicæ initio Persici regni Cyri, tanquàm inde ad sextum annum Darij Hystaspis interuenissent quadraginta sex anni, quum interuenerint tantum quadraginta tres: & captiuitas Babylonica soluta sit demùm post captum Cyro Babylonem completo multò maiore eius regni Persici tempore, vt pote anno vicesimo tertio iuxta Xenophontem, libro octauo institutionis Cyri, suffragante Herodoto lib. primo historiæ suæ. etenim illud Τέρλῦ altero anno post solutã Babylonicã Septuaginta ãnorũ ab initio Imperij Nabuchadnezaris captiuitatẽ, ac secũdo Monarchiæ at vicesimoquinto Persici regni Cyri, cœptum ædificari, intra annos inde octodecim finitum ac dedicatum est, vtpote anno sexto Imperij memorati Darij

Hystaspis Persarum Imperatoris, atque annis septuaginta post euersum primùm vt ex libro Ezrę collato cum Prophetia Aggei ac præsertim Zacharię, manifestum est, cõsentientibus antiquorum interpretationibus, locis modò citatis, pariter ac Iosephi postremo capite decimi quinti libri Antiquitatum. Ideoque illa verba Iudeorum omnino sunt intelligenda de Templo quod amplius & augustius circa illud secundum antiquius ędificare cœpit Herodes Antipatri filius, anno regni sui decimooctauo, post plusquam biennij apparatum operis inde ab anno decimoquinto, vt ex eodem Iosepho colligitur, libro primo belli Iudaici collato cum decimoquinto Antiquitatum: quod licet ex parte potissima quoad ipsam operis substantiam post octo annos absolueretur, tamen omni ex parte absolutum non fuit, nisi demùm post annos septuaginta & octo, Gessio Floro præside Iudææ, nempe quinquennio antequam rursum funditùs everteretur: vt disertè affirmat idem Iosephus, penultimo capite vltimi libri Antiquitatum, his verbis. *Porro quum audiret Albinus, Gessium Florum sibi successorem*

missum aduenire, &c. Iam absolutum erat & Tẽpli ædificiũ. ἐδὲ δὲ τότε καὶ τὸ λεῖον ἐτετέλεστο. *Populus igitur cum videret esse in otio circiter octodecim millia opificum, solitorum hactenus in Templo ex operarum Mercedibus victum quærere, nolensque sacram pecuniam repositam habere, nequando præda Romanis fieret, simulque opificibus inde premissum cupiens, quod vel vna hora diei operam statim merces repræsentaretur: suasit regi (Agrippæ iuniori,) vt orientalem instauraret porticum, quæ Templi extima claudebat.* Ita Iosephus. Quod si septemdecim annis regni Herodis completis ante cœptum restaurari Templum, adijciantur quadragintasex restaurationis vsque ad reuelatum Christum, qui ex eorum summa cõponitur annus sexagesimustertius, si quidem putetur, vt alij putant, ab initio regni eius receptis ope Sosij legati Antonij Triumuiri Hierosolymis Agrippa & Caninio consulibus, autumno anni secundi Aeræ Cæsaris, cadit in decimumtertium annum Imperij Tiberij Cęsaris, fermè biennio antequam Ioannes Baptista Euangelium prædicare cœpit, ideoque neutiquam quadrat proposito: verùm putatur

sex-

rennio postea ab Actiaca Cæsaris Octauiani victoria & restituto Herodis Regno, admussim conuenit in decimumnonum annum Imperij Tiberij: ita vt hinc quoque consequens sit Christum anno Tiberij demùm decimonono Baptizatũ & reuelatum esse, atq; frustra Cæsarem Baronium hic imputare errorem Iosepho de anno Templi ab Herode restaurare cœpto, quem apparet hærere in suo perinde ac vulgari anni Baptismi Christi calculo.

Enimuerò ratio & series actorum regis Herodis circa illud tempus, & si propter nota regni eius initia admodum confusa, apud Iosephum, collatis decimoquinto & decimosexto capitibus primi libri de bello Iudaico, cum posteriore parte decimiquinti & priore decimisexti libr. Antiquitatum, ita constat. Apuleio & Neruâ consulibus, sub initium Olympiadis centesimononagesimæ, Augustus in Syriam profectus, quemadmodum refert etiam Dion libro quinquagesimo quarto, Zenodori tetrarchiam cõcessit Herodi, decimosexto regni eius anno, iuxta Iosephum, à capto cum Hierosolymis & interfecto Antigono. Inde autem deducto ad mare

Cęsare, Herodes in regnum reuersus, p
extructam vrbem Sebasten, & in ea Te
plum Augusto dedicatum, missosq; Al
xandrum & Aristobulum filios Roma
forte in comitatu ipsius Cæsaris, in te
Zenodori elegantissimum ei templu
construxit è marmore candido, ad Iorda
nis fontes, Panio appellato loco; quod qui
dem quadriennio videtur ædificasse, sub
quod tempus etiam, nempe consulatu Do
mitij & Scipionis, sub initium Olympia
dis centesimę nonagesimę primę, celeber
rimam vrbem Cæsareã, cum portu, itemq;
alio templo Cęsaris, & theatro & amphi
theatro, ex ædificauit, spatio annorum du
odecim, nempe vt apparet post primam
Actiadem auctumq; ab Augusto eius re
gnum. eodem autem tempore videtur pro
fectus Romam salutatũ Cęsarem & ad re
ducẽdos domum filios: ac in itinere Ago
notheta ipsis Olympijs constitutus esse, e
odemq; anno, iuxta Dionem, Marcus A
grippa reuersus est in Syriã: quem Hero
des, anno sequente, Libone & Pisone con
sulibus, hospitio excepit Hierosolymis. &
anno insequente, consulatu Crassi & Len
tuli, ad Agrippam præter Rhodum & Bi-

rantium nauigans, deindeq. eum comitatus per pontum, Paphlagoniam, Cappadociam, Phrygiamq. Ephesum ac Samum vsque, Ionicis Iudęis impetrauit immunitatem, & licentiam mittendi sacram pecuniam Hierosolyma. ac tunc demùm, domum reuersus, conuocato in concionem populo, postquàm commemorasset quantum felicitatis eis suus principatus attulisset, ac quibus vrbibus alijsq. speciosis operibus ędificatis Iudęam aliasq. a contributas ditionis suæ regiones excoluisset & exornauisset, eodem tempore videtur ei persuasisse approbationē propositi sui, ędificandi Templum: ac deinde cepisse ędificare illud sequente vere, Tiberio Nerone & Quinctilio Varo consulibus, anno decimo octauo regni restituti, vt dixi, post plusquam biennij apparatum operis inde ab anno decimoquinto. Biennio autem posteà Romam denuò profectus adaccusandos filios corā Cęsare, anno deinde insequente, Iulio Antonio & Fabio Maximo consulibus instituto Agone pentaeterico, Cæsareę demum omnibus suis numeris consummatę dedicationem magnificētissimè celebrauit, decen-

nio post Cæsaris discessum é Syria, vicennio post debellatum interfectumq; Antonium & Cleopatram, ineunte anno vicesimo octauo regni sui ab interfecto Antigono, circa medium Olympiadis centesimę nonagesimæ secundę.

Quinta notatio temporis publici ministerij Christi obseruata est apud Lucam in christi concione Nazarethæ habita ex verbis illis Esaię Prophetæ, videlicet, *Spiritus Domini super me, propterea quod vnxit me: vt euangelizarem pauperibus misit me &c. & vt prædicem annum Domini acceptum.* Ex quibus quidem verbis deduci potest quinta ratio confirmandę sententiæ nostrę de tempore Baptizati christi quatenus nempe communis plerorumq; fuit opinio, ijs significari, annum illum quo christus proximè post coniectum in carcerem Ioannem Baptistam, in Galilęa prædicare cœpit, fuisse vel Iubileum vel saltem Sabbaticum. enimuerò annus vicesimus Imperij Tiberij, ab autumno huius anni naturalis cœptus, fuit Iudæorum Sabbaticus, vtpote à soluta captiuitate Babylonica octogesimus primus, post recepta verò ab rege illo Herode ope Sosij Hie-

ro-

rosolyma, (anno quem ab autumno præcedente fuisse Sabbaticum diserte refert Iosephus in fine decimiquarti libri Antiquitatum, his verbis: *Vt tentesq, desperatione pro fortitudine, ad extremum perdurabat obsessa tam numeroso exercitu, ipsi fame simul laborantes & inopia, nam in Sabbaticum annum inciderat oppugnatio,*) decimus. neq. vllus alius Sabbaticus, (nedum Iubileus,) à Iudeis illo seculo intra septennium antè vel pòst celebratus est. quapropter etiam hinc consequens est, primum annum prædicationis christi, nempe in Galilæa cœptę post iniecta Ioanni Baptistæ vincula, conueniisse demùm vicesimo anno Tiberij, primum autem à baptismo, anno eiusdem decimonono.

Quòd autem quidam ipsum Baptismi, unquam eundem cœpti promulgari Euangelij, alij autem Crucifixionis christi annum, non modò Sabbaticum sed etiam Iubileum censendum esse necessariò contendunt: si recta dinumeratione annorum vel à conditu mundi, vel ab Israelitarum ingressu duce Iehoshua in promissam terram chananæam, vel à soluta per cyrum captiuitate Babylonica id confirmassent,

rectè fecissent. sed quum illa deficientes dicãt Iubileum fuisse typum Christi, (imò potiùs libertatis nostræ per Christũ partæ,) in quo fruituri essemus vero Iubileo in remissione peccatorum, typum autem & rem significatam, vmbram & corpus oportere conuenire: facilis & responsio: vt est concedatur Iubileum fuisse typum libertatis spiritualis per Christum acquisitæ, omnino typum & rem typi oportere conuenire quoad ipsam substantiam rei, sed neque oportere neque opus esse quoad illam circunstantiam temporis, præsertim quum appareat nullum Iubileum eo seculo, ne dicam post solutam captiuitatẽ Babylonicam, obseruatum esse. alioqui verò, quemadmodum actu Iehosua Populum Israelis post quadraginta annorum errorẽ in deserto, induxit in terram promissam, & Cyrus actu Populũ Iudaicum post septuaginta annorum seruitutem Babylone liberum dimisit, quorum vterque typus fuerit Christi: ita Christum die cœpti prędicari Euangelij, aut Baptismi aut crucifixionis suæ, oportuisset vniuersam Ecclesiam electorum iustificatam & peccatorũ seruitute liberatam, actu in promissam

cœ-

cœlestem hereditatē intromittere: quod neutiquam fecit, sed soluto tunc redemptionis & liberationis pretio, per singula secula vnumquemque electorum die efficacis vocationis fide donatum actu iustificat, & peccati seruitute liberat, atque die mortis demùm ad æternam vitam in cœlo fruendam, cuius typus erat hæreditas terrestris Chananæa, anima tenus, actu intromittit. eadem autem ratione contendi posset Christum crucifixū esse vel septimo die septimanæ, vel septimo anni mēse, quia vterq; typus fuerit æternæ quietis & lætitiæ electis per Christi cruciatum partæ. sed & eodem argumento contendi posset, oportuisse Christum crucifigi eodem die & eadem hora qua oportuit mactari agnum Paschalē, vtpote ipsum quoque typum Christi: quem tamen postridie illius diei crucifixum esse constat. quid? quod ingressus Summi sacerdotis in Sanctuarium intimum semel quotannis, fuit itidem illustris typus patefactæ viæ in Cœlum per Christi mortem & resurrectionem, teste Apostolo, capite nono & decimo Epistolæ ad Hebræos: qui tamen prorsus alia anni tempestate institutus fuit. Porro ratio eo-

rum , si ad formam syllogismi reducatur, fuerit huiusmodi. Vmbra omnino corpori cuius est vmbra conuenit tempore. Typus omnino conuenit rei significatę vt vmbra corpori : ergo typus omnino rei significatæ conuenit tempore. Huius syllogismi conclusionem omnino veram esse ne ij quidem ipsi puto affirmauerint: ergo necesse est alteram præmissarum propositionum esse falsam: & quidem secunda siue minor manifestè laborat fallacia dicti simpliciter , quia Typus similis est vmbræ non simpliciter & omnino, sed tantum secundum quid, siue quadamtenus, ac nimirùm sicut olim sub legis obscuritate, multorũ seculorum decursu illa vmbra fuit sine corpore: ita coruscante vndique luce Euangelij , corpus sunt sine vmbra. atque apparet Christum crucifixum esse & media septimana postrema illarum septuaginta septimanarum Danielis, & propè item media septimana Iubilaica siue annorum Sabbaticorum. Denique modus arguendi à typo eatenus probatus est, quatenus firmis argumentis demonstrantibus quomodo typus explicandus ac applipli-

plicandus, & quousque extendendus sit, innititur: alioqui neutiquàm probabilis, vtpote magnam inanibus commentis fenestram aperiens. vis autem rationis nostræ sita est, non tam in relatione typi ad rem significatam, quàm in alluſione Christi ad præsentem tempestatem & occasionem.

Sexta notatio temporis publici ministerij Christi adhibetur partim à Ioãne scribente *Christum rediisse in Galilæam, quadrimestri ante* secundam à Baptismo *messem* & Pascha, partim etiam a cæteris Euangeliographis contestantibus Ioannem Baptistam sub idem tempus ab Herode Tetrarcha, quem reprehenderat ob ablatam Philippo fratri vxorem Herodiadem, coniectum in carcerem, deinde intra annum, nempe insequente eiusdem Herodis die natali decollatum esse. *Herodias enim*, inquiunt, *imminens neci Ioannis Baptistæ, nacta idoneum tempus, quum agerẽtur Herodis natalia, filiam cui saltationis gratia Herodes spoponderat se daturum quicquid petuisset, iussit petere caput Ioannis. quapropter eodem tempore Herodis iussu Ioannes in carcere decollatus est.* Eius autem decolla-

tionem antiquitùs retulerunt Alexandrini & Ægyptij Christiani ad primum diem anni sui, nempe primi ipsorum mensis Thoth, respondentem ferè primo diei naturalis mensis septimi: similiterque Syri & Græci ad vicesimum nonum diem Loi siue Augusti, itidem conuenientem primo diei anni Ægyptiorum Augustani. neque abludit tempus. siquidem omnino necesse est eam contigisse intra annum postquàm Ioannes in carcerem coniectus est, vtpote proximè sequente Herodis die natali: neq; vlle idonea ratione Baronius & Pontificij ipsam differunt ad initium sequentis anni, idque à Paschali mense inceepti.

Refert autem Iosephus historicus, decimooctauo libro Antiquitatum, capite septimo, Herodem tetrarcham, quum ob ductam Herodiadem, & repudiatam priorem vxorem, confestim bello lacessitus fuisset ab Areta Arabum rege, huius patre, prœlio superatum esse ab eodem, ad internecionem cæso illius exercitu, paulò post necatum Ioannem Baptistam, adeo vt apud Iudæos fuerit opinio, iusta vltione Numinis delectum Herodis exercitum propter ipsius necem. Verba Iosephi hæc sunt

sunt. *Interea Herodem inter & Aretam regem Petræ bellum tali de causa exoritur. Herodes tetrarcha vxorem habebat Aretæ filiam, cum qua iam multo tempore conuixerat. Romam deinde iter faciens diuertit ad Herodem* (voluerat dicere Philippum) *fratrem, &c. Huius vxoris Herodiadis amore captus, quæ erat Aristobuli communis fratris filia, & Agrippæ maioris soror, ausus est de impetrando eius coniugio mentionem facere. qua assentiente conuenit inter eos, vt quamprimum ille Roma reuerteretur in patriam, mulier migraret in eius domicilium, intercessit autem & hoc pactum, vt Aretæ filiam ejiceret. Posthac Romam nauigat. vbi postquam expediuit negotia propter quæ venerat, domum reuersus vxor, cõperto quid pactus sit cum Herodiade, dissimulanter rogat vt se mittat Macheruntem, castrum situ in confinijs ditionis Aretæ, quantum poterat celans suum propositum. morem gessit Herodes mulieri, putans eam nihil resciisse. illa quæ iam ante curauerat apud Macheruntem patri suo tunc obnoxiam, ad iter omnia parari: à præfecto eius excepta, deducentibus Arabibus, magna celeritate peruenit in ædes patris: eique indicauit Herodis animum.*

Vnde natum initium simultatis pariter ac de Gamalitici agri finibus contentionis, & contractis vtrinque copijs bellum per legatos gestum est: commissoque prælio Herodis exercitus internecione cæsus est, proditus à quibusdam exulibus, qui pulsi è tetrarchia Philippi tunc merebant Herodis stipendia. Hæc Herodes per literas Tiberio significat. Ille verò indignè ferens Areta audaciam, scribit Vitellio, vt ei bellum inferat, & aut vivum captum abducat, aut occisi caput ad se mittat. atque hæc fuerunt mandata Tiberij. Apud Iudæos autem fuit opinio, iusta vltione Numinis deletum Herodis exercitum, propter Ioannem qui Baptista cognominatus est. hunc enim Tetrarcha necauit virum optimum, Iudæos excitantem ad virtutum studia, & inprimis pietatis ac iustitiæ, simulque ad baptismi lauacrum: quod ita demùm Deo gratum aiebat fore, si non ab vno tantùm alterove peccato abstinerent, sed animis per iustitiam prius mundatis adderent & puritatem corporis. quumque magni concursus ad eum fierent, plebe talis doctrina auida: Herodes veritus, ne tanta hominis auctoritas defectionem aliquam pareret, quod viderentur nihil non facturi ex eius consilio iudicauit

dicauit satius esse prius quàm noui aliquid exoreretur illum tollere, quàm rebus turbatis seram pœnitentiam agere. itaque vinctum missum in Macheruntem suprà dictam, illic occidi imperauit. quod factum secuta est Iudæorum existimatio, ab irato Deo perditum esse Herodis exercitum. Vitellius autem ad bellum paratus Arabicum &c. properans versus petram peruenit Ptolemaidem. Hæc Iosephus. ex quibus etiam illud manifestũ fit, Ioannem Baptistam necatum esse demùm sub tempus Syriacæ præfecturæ Vitellij. Iam verò Tacitus libro sexto Annalium, *Lucium Vitellium*, quum consul fuisset cum Paulo Fabio Persico, quo anno Pomponius Flaccus Syriæ prætor defunctus sit, anno insequente, *Cestio Gallo & Seruilio Rufo consulibus, Orienti præposuit*: nempe circa medium vicesimi primi anni Tiberij.

Quocirca hinc suppeditatur sexta ratio, eaque haud leuis, ad cõfirmandum, Christum baptizatum esse demùm anno decimonono Imperij Tiberij, quandoquidem appareat Ioannem, qui haud integro biennio deinde superuixerit, neutiquàm ante inceptum vicesimum primum annum Ti-

berij necatum fuisse. nam quod arbitratur Baronius bellum inter Herodem & Aretam in multos annos protractum esse, id planè aduersatur verbis Iosephi, nec vlla ratione fit verisimile. Quod autem alij ex Iosepho, sub finem capitis præcedentis, obiiciunt, Philippum Tetrarcham mortuum esse anno vicesimo Tiberij Imperatoris: poterat quidem Philippus mortuus esse circa finem vicesimi anni Tiberij, vt nihilominùs dodrante anni antea Ioānes in carcerem coniectus sit, ab Herode reprehenso, quod initio eiusdem annī vxorem fratri Philippo adhuc viuenti abstulisset. Verùm & ipse contextus historiæ Iosephi arguit mortuum esse Philippum, vt suprà dictum est, circa finem Imperij Tiberij, vtpote post renouatum fedus inter Tiberium & Artabanum regem Parthorum; & apud Ruffinum antiquissimum eius interpretem, vt suprà etiam annotatū est, ita legitur, *Tunc etiam Philippus Herodis huius frater vita defungitur, vicesimo quidem secundo anno imperante Tiberio: ipse autem per trigēta duos, alias quinque, annos recte aduixit:* in manuscripto autē exemplari sex posteriorum librorum Antiqui-

tiquitatum & septem de bello Iudaico, penes Magistrum Crashamuum, cuius prior pars videtur esse illa penes Dominum Casaubonum, ita: *Tunc etiam Philippus Herodis huius frater vita defungitur, vicesimo quidem secundo anno imperãte Tyberio. ipse autem per triginta & duos annos rectus (rector) aduixit.* Itidemque in illo alio ex regia Bibliotheca.

Cap. XX.

SEptima notatio temporis ministerij Christi ferè completi, adhibita est à Luca referente, *venisse quosdam ad Christũ (quum compleretur tempus quo sursum recipiendus esset,) proficiscentem Hierosolyma,* ad celebrandum postremum Pascha quo crucifixus est, *nunciantes ei de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuerat cum sacrificijs ipsorum.* quos quidem Galilæos plerique existimant fuisse Samaritanos illos, de quibus Iosephus, Antiquitatum libro decimooctauo, capite quinto iuxta vulgatas editiones Græcam & Latinam, septimo autem iuxta Ruffini translationẽ, scribit in hæc verba. *Interea ne Samarita-*

rum quidem gens tumultu caruit. concitauit enim eos impostor quidam, (*Caphedon nomine* apud Rufinum additur, quod in Græco non extat,) *pro nihilo ducens mendacium, & omnia comminiscens ad plebis gratiam, iubens vt conuenirent in montem Garizim apud eam gentem sanctissimum : asseuerans se illic eis ostensurum sacra vasa refossa, quæ ibi Moses deposuerit. illi crediduli sumptis armis Tirathabam vicum insederunt, expectantes ibi confluentes cæteros vt magno agmine montem ascenderent. Sed Pilatus prior occupat equitibus suis & peditibus, qui prælio congressi cum Samaritis apud vicum collectis, alios occiderunt alios in fugam compulerunt : multos etiam vinos captos abduxerunt, quorum præcipuos & potentiores Pilatus mulctauit capite. Tum primates Samaritarũ adeunt Vitelliũ virũ consularẽ & Syriæ Præsidem, Pilatumque cædis accusant: negãtes defectionem à Romanis fuisse illum concursum in Tirathaba, sed refugium contra Pilati violentiam. At Vitellius Marcello amico ad procurationẽ Iudææ misso, Pilatum iussit Romam proficisci, responsurum apud Cæsarem ad obiecta per Iudæos scri-*

mi-

mina. Ita ille decem annis exactis in sua prouincia, quum necesse haberet parere Vitellio, ad Vrbem iter suscepit : quò priùs quàm perueniret, vita excessit Tiberius. Hæc Iosephus. Eandem autem historiam ex parte narrat Hegesippus, libro secundo de excidio Hierosolymitano, capite quinto, his verbis. *Quod igitur ludibrium imperitante Tiberio acciderit: non putaui prætermittendum, vt ex eo deformitas colligatur Imperatoris. sicut enim boni Principis vita probitatis quædam præscriptio, & per vniuersos viuendi forma est: ita Imperatoris colluuio lex flagitiorum est. Ab eo missus Pilatus* ~~est~~ *in Iudæā, vir improbus atq; in exiguo ponēs mendacium, circumuenit Samaritanos, vt montem cui nomen* ~~qui nomen~~ *Gadir, peteret: erat enim illis sacratus : eò quòd vellet eorum mysteria cognoscere. Et ascendens populum præuenit equitatu, pedestrique exercitu straui, afficto crimine quod à Romanis discedere, & conciliabulum sibi quærere præparassent.* Ita Egesippus. Quod autem quidam è nostris putant illam Iosephi historiā esse diuersam ab hac quam innuit Lucas, partim ob differentiam temporis, quasi quę contigerit ferè quinquēnio post

obitum Christi, vtpote crucifixi decimo octauo anno Imperij Tiberij, partim ob differentiam nominis Samaritanorum & Galilęorum: differentię nominis ratio adducetur paulò post: interim ad argumentum à differentia temporis quod attinet, cæteris paribus id videtur esse efficacius ad probandum Christum crucifixum esse quadriennio post decimum octauum annum Tiberij, quàm ad euincendum duas esse historias.

Sané pleriq; vt dixi, iiq; è pręcipuis Theologorum tum nostrorũ tum etiam Pontificiorum, ipsam eandem historiam à Luca significatam & à Iosepho narratam arbitrantur. Verbi gratia, Huldricus Zuinglius: in eundem locum Lucæ ità scribẽs. *De hisce rebus vide Iosephum, libro Antiquitatum decimooctauo, capite septimo. nam videtur de hisce scripsisse, & verisimile est factiosos sacrificia illic in monte Garizim habuisse. & tempore nimirùm Christi hæc facta videntur. quum itaq. Christus moneret quoties signa ostenderet Deus, circumspectos esse & resipiscere, ni pœnam velimus experiri: eodem momento venerunt quidam qui talia nũciarent.* Hæc Zuinglius. Eadẽ autẽ haben-

habentur in nouæ Glossæ ordinariæ specimine edito à Roberto Stephano. Porro Ioannes Caluinus commentario in Harmoniam Euangelicam, ad eundem locum dum pro Galilæis Lucæ ponit Samaritanos Iosephi, simul innuens rationem diuersę appellationis; eandem esse vtriusq; historiam clarè significat, ita scribens. *Porro inde exhortationis nata est occasio, quod retulerunt quidam Pilatum sanguinẽ humanum cum sacrificijs miscuisse, vt scilicet tali flagitio in detestationem venirent. quia autem verisimile est probrum hoc Samaritanis illatum esse qui à puro legis cultu descinerant: facile ac promptum Iudæis fuit, Samaritanos damnando sibiipsis plaudere. sed Dominus alio eos conuertit. nam quia illis exosa & infamis erat totius gentis impietas* &c. Et paulò pòst. *Postquàm autẽ de Samaritanis locut' est, propius ad Iudæos ipsos accedit.* Ita Caluinus. Henricus autẽ Bullingerus suo in Lucam commentario ad eandem sententiam accedit, etsi in appellationis differentiâ nonnihil hæsitans: dum in hæc verba scribit. *Nullibi in historijs quod sciam vlla fit huius facinoris mentio. videtur tamen Galilæi isti aspirasse ad*

ad libertatem: ac secuti pseudo prophetam aliquem, qui illam amplissimis verbis pollicitus, à sacrificijs inſserit negotium ordiri, quo felicius cederẽt omnia. ea causa videtur coiisse illi in cœtum & sacrificasse: forte armis se posteà in libertatem asserturi, aut res novas alias tentaturi. Quod cum audiisset Pilatus, collectis militibus, sacrificantes adhuc adortus oppressit: atq, eo modo sanguinem ipsorum cum sacrificijs ipsorum miscuit. neq. enim verisimile est quod ingulatorum sanguinem miscuerit cum sanguine pecuino & obtulerit. Neq. scio an huc quadret historia quam texit Iosephus, Antiquitatum libro decimooctano, capite septimo, de seductis quibusdam à pseudopropheta Caphedone, & ingulatis à Pilato. na casos dicit fuisse Samaritas, non Galilaeos, nisi forte erratũ sit in nomine. ista enim non male congrueret res. Hæc Bullingerus. Neque aliam sibi fuisse dubitandi causam significat Theodorus Beza, maioribus Annotationibus in eundem locum: vtens his verbis. *De Galilaeis.) Oportet igitur Samaritanos quoque fuisse Galilaeorum nomine comprehensos si haec est historia quam describit Iosephus, libro Antiquitatum decimooctano, capite quinto*

quinto. quâ de re amplius quærendum censeo. Ita quoque Beza. His autem addi potest Ioannes Alesius Iuuanensis, in serie annorum sanè elegante ferme septennio abhinc edita: Omitto alios.

Pontificij verò non modò recentiores sed etiam vetustiores eandem historiam Iosephi ad narrationem Lucæ retulerunt: alij quidem simpliciter, alij autem coniũctam cum alia Iosephi in præcedentibus, & Lucæ in Actis Apostolorum, de sectarijs Iudæ Galilæi. Verbi gratia: Petrus Comestor, auctor Scholasticę historię, capite nonagesimoquarto historię Euangelicæ, de Galilæis quos occidit Pilatus, illã Iosephi ad illam Lucæ simpliciter refert: his verbis. *Aderant eo tempore quidã nuntiantes ei de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuerat cum sacrificijs ipsorum. Quidam enim dicens se Dei filium, multos seduxerat de Galilæis: quos dum duxisset in Garizim, vbi dixerat, se ascensurum cæ-*

lum coram eis, dum sacrificarent, eis superueniens Pilatus, ipsum cum omnibus occidit, timuit enim ne & Iudaos seduceret. Ita Comestor. Porro Albertus Magnus in idem caput Lucę, in eandem sententiam binas Iosephi & Lucæ historias coniungere conatur, his verbis. Nunciantes illi (Iesu) de Galilæis.) *Narrat Iosephus, & historia Ecclesiastica, & Egesippus, quod eo tempore in Galilæâ quidam surrexerat qui se filium Dei prædicaret: & multos auertit post se, ducens eos in montem Garizim, in desertum in quo monte se in cœlum ascensurum prædixerat. In quo monte cum sibi Galilæi in eum credentes sacrificarent: superuenit Pilatus, & eum interfecit, & omnes sibi sacrificantes; & sic (miscuit sanguinem) sacrificantiũ cũ sanguine sacrificiorũ, & cũ sanguine eiꝰ cui sacrificabãt. Et hãc esse causam dicunt quod Herodes inimicus erat Pilato: de quibus inimicitijs in passione Christi reconciliati sunt. Herodes enim Tetrarchiã habuit Galilææ: & dicebat quod Pilatus in hominis sua tetrarchia non haberet aliquam potestatem. vnde Actuum quinto dixit Gamaliel: Ante hos dies exiuit Theudas quidam, &c.*

Item

tem ibidem: post hunc exiuit Iudas Galilæus in diebus professionis, &c. & ipse periit. Fuit quidam erant isti Galilæi hæretici, à quodam Pseudopropheta subuersi: vel fortè idem erant. (Quorum sanguinem) in monte Garizim (miscuit Pilatus) procurator Iudææ. miscuit autem sanguinem eorum (cum sacrificijs eorum) ne sibi regnum vsurparẽt multiplicarentur. Sic Albertus. Similitèr Hugo Cardinalis, Post illa in idem caput, inquit verbis. *De Galilæis istis dubium est qui fuerint quod nec Euangelica determinat historia. Iosephus dicit, & in historijs habetur, quod quidam erat in Galilæa faciens se filium Dei, Messiam promissum in Lege, & multi de Galilæis sequebantur eum, adhærẽtes ei, quos seduxerat: & assignauerat eis locum quo erat ascensurus in cœlum, videntibus illis, de monte Garizim. videns autem Pilatus quod multos seduxerat de Tetrarchia Herodis, id est, de Galilæa: timuit ne alios seduceret eos qui erant de tetrarchia sua, scilicet Hierosolymitas. Cum ergo ibi assignato essent in monte Garizim, & illi quos seduxerat, adorarent eum & sacrificarent ei: repentè supervenit Pilatus & interfecit eos inter sacrificia, & inter alios*

occidit filium Dei. Istud aliquantulùm tangit Glossa modica super Euangelium: vbi habetur quod ea hora pacificati sunt Herodes & Pilatus: quando scilicet Pilatus misit hominem Galilæum, scilicet Christum, ad Herodem, pro reuerentia nolens iudicare hominem de tetrarchia sua, sed remittens ad eum vt iudicaret: pro qua reuerentia Herodi exhibita à Pilato, statim pacificatus est Herodes, qui molestus erat Pilato, quod occiderat hominem de tetrarchia sua. Et Actus, verbi gratia, vbi dicitur, post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis & auertit populum post se, & omnes quotquot consenserunt ei, dispersi sunt, & ipse periit. Sic quoque Hugo.

Denique, vt omittam alios, Ioannes Maldonatus Iesuita, in idem caput Lucæ, post multam disquisitionem, demùm & ipse ad eandem sententiam accedit. cuius item verba proferam, etsi longiora; quia magna cautione & deliberatione scripsisse videtur. *Euangelista eodem tempore quo Christus ea quæ extremo capite superiùs dicta sunt disserebat, superuenisse aliquos dicit, qui nunciarent quid Pilatus fecisset Galilæis, quorsum autem nuntium illud intule-*

rint

nat non dicit. Ego siquis mihi esset auctor, facile mihi persuaderem, historiam illo ipso tempore quo illi narrarunt accidisse, eosq. non alia narrasse causa, quàm quia nona & inudium audita erat, & solemnes res eiusmodi nouas & insignes omnibus miscere sermonibus. sed nolo primus esse auctor rei praesertim incertae. Plerique igitur putant ideo illos eam historiam in medium attulisse, vt Galilaeos quos pro hostibus habebant, homines detestabiles esse significarent, quos Deus per Pilatum ipsis suis sacrificijs obruisset. At quorsum ista haec ipsa Galilaeorum detestatio? occasionem enim habere aliquam oportebat, qui in ijs quidem quae superiore capite ab Euangelista narrata sunt, non apparet. praeterquam quod ij qui ista narrarunt, ista quae Christus dixerat, non audierant. ait enim Lucas eos sub idem tẽpus superuenisse, quasi indicans rem eos nouam & inauditam attulisse. Itaque mea illa coniectura quam posui paulo superius, eo mihi videtur probabilior, quo minus in aliorum opinionibus probabilitatis inuenio. sed ea mihi, & quia meliorem non habet auctorem, & quia eandẽ illam id temporis accidisse ex nulla colligitur historia, non satis placet. Nam dua illa

seditiones quæ Actorum quinto capite tricesimo sexto & tricesimo septimo versibus commemorantur, triginta vt minimum annis antea contigerunt, cum Iudas Galilæus, qui posterioris auctor fuit, & fuerit vt illic dicitur in diebus professionis. Vero simile igitur est illos qui hoc narrarunt, non tanquam rem nouam & recentem narrasse, sed accessisse ad Christum, hoc est προσελθοντες vt eum de eo facto interrogarent, quonam id diuino consilio accidisset: quemadmodum cum aliquando discipuli interrogarunt, cum cæcum quendam natum vidissent, Rabbi, quis peccauit, hic an parentes eius, vt cæcus nasceretur? Ioannis nono capite, secundo versu. Quemadmodum Cyprianus vt videtur, in libro contra Nouatium: Theophylactus quidem certe, & Euthymius, ita interpretantur. Quod ad ipsam attinet historiam, quemodo quando & qua de causa Galilæorum sanguinem cum ipsorum sacrificijs Pilatus miscuerit, nullam præter hanc ipsam Lucæ satis perspicuam habemus: omnes tamen interpretes ad seditionem illam referunt, quæ auctore Iuda Galilæo accidisse dicitur, Actorum quinto capite, tricesimo septimo versu, de quo, libro decimooctauo Antiquitatum, capite quinto

it quinto: ad hunc modum Iosephus scribit. Interea ne Samaritani quidem tumultu carere. concitauit enim eos impostor quidam, pro nihilo ducens mendacium. &c, vt suprà: quæ nescio qua ratione Iesuita affirmet Iosephum de Iuda Galileo scribere. deinde pergit. *At Iosephus de sacrificio mentionem non facit. quin colligitur eos tunc non sacrificasse, cum Iosephus dicat, à Pilato cum adhuc in quico Tirathaba essent, antequàm ad montem vbi templum erat ascendissent, oppressos fuisse. Græciferè interpretes, vt Euthymius, Theophylactus, Cyrillus apud diuum Thomam,* (at enim ille Cyrillus videtur esse adulterinus,) *& Anastasius, quæstione sexagesima septima, & Oecumenius in commentario in caput quintum Actorum Apostolorum, solent dicere Iudam illum Galilæum inter alia docuisse, non licere Iudæis quicquam præter Deum, Dominum appellare: quod & Iosephus scribit, libro decimooctauo Antiquitatum, capite secundo: itaq; non esse pro Imperatore sacrificandum. quam Pilatum ea re irritatum, eos qui eius erãt setæ, inter sacrificia in quibus pro Imperatore orare recusabant, interfeciſſe: atq. ita eorum sanguinem cum sacrificijs miscuisse.*

Suidas, in Pilato, ad eam refert historiam
h quæ apud Iosephum est, libro secundo de bello Iudaico, capite octauo: cum Pilatus commotam plebem & tumultum excitantem quod sacrum thesaurum quem Corban appellabant aperuisset, summissis clam armatis militibus partim interfecit, partim vulnerauit, omnes perterruit. Miror hoc viris doctis nostro tempore placuisse, nec animaduertisse eos, id non in Galilea sed in Ierosolymitana vrbe accidisse, vbi & thesaurus erat, vt Iosephus narrat: itaque non potuisse Galilæos esse qui interfecti fuerint. Nam recentioribus quibusdam auctoribus, qui sine testimonio & sine ratione dicunt hoc Ierosolymæ accidisse, non vereor ne fides habeatur. præterquam quod non sacrificantes in Templo sed in foro ante Tribunal suum vociferantes tumultuantesq. interfecisse Iosephus dicit. Ire incerta probabilissimum mihi videtur, hoc factum esse tum, cum Pilatus vicum illum Tirathabam militibus occupauit vt Samaritanos opprimeret, vt paulò suprà ex Iosepho recitauimus. Caterum historiam illam clarius Hegesippus narrat, libro secũdo de excidio Ierosolymitano, capite quinto. eius verba hæc sunt. Quod igitur Iudibrium imperi-

peritante Tiberio acciderit, &c. item vt supra. Ex eo quod Hegesippus narrat, finxisse Pilatum se Samaritanorum mysteria velle cognoscere: perspicuum est eum sacrificantes oppressisse, quod Iosephus silentio prætermisit. Vnum illud huic sententiæ videtur obstare, quod illi de quibus Iosephus & Hegesippus scribunt, Samaritani fuerint, isti de quibus Lucas loquitur, Galilæi: Samaritani autem Galilæi non erant, quin potius hostes Galilæorum, & ab illis sicut à Iudæis, de religione maximè dissentientes, nam Galilæi in templo Ierosolymitano adorabant, atq. sacrificia sua offerebant: Samaritani id nefas ducebãt suum in monte Garizim, vt auctor est Iosephus, templum habentes, vbi vt mulier illa Samaritana Christo dixit, Ioannis quarto capite, vicesimo versu, adorare dicebant oportere. itaq; Christum quia facies eius erat tantis in Ierusalem adorationis causa recipere noluerunt: suprà, capite nono, versu quinquagesimotertio. & Iosephus, libro tertio Antiquitatum, capite secundo, Samariam mediam inter Iudæam & Galilæam esse dicit. quod & ex Euangelistis quoque ipsis facilè colligitur. scribit enim Ioannes capite quarto, versu quarto, Christum ex Iudæa in

Luc. 9.

Galilæam euntem per Samariam transire oportuisse. Quia nemo quæstionẽ attigit, nemo respondet: mihi qui nodum strinxi, vtcunque potero soluendus est. Duas ob causas mihi videtur ille, qui hoc Christo nunciabat Galilæos vocasse eos qui non Galilæi sed Samaritani erant. Et quia vtraque gens odio Iudæis erat: itaque Christum ipsum pro eodem ducebant aut Galilæum aut Samaritanũ apellare, quia quod ad odiũ attinet perinde illis erat: Matthæi; vicesimosexto capite, sexagesimo nono versu, Lucæ vicesimo tertio capite, sexto versu, Ioãnis septimo cap. quinquagesimo secundo versu, & octauo capite, quadragesimo octauo versu. ac fortasse voluit interrogando Christum ipsum perstringere, qui ab omnibus Galilæus esse putabatur, quasi insinuans ipsius gentem, atque adeo ipsum esse peccatorem, cum Deus permisisset eorum sanguinem vnà cum sacrificijs permisceri. Et quia Samaria Galilææ maiori nobilioriq; prouinciæ vicina erat, & est solennæ non solùm vicinas vrbes, verùm integras etiam prouincias; vicinarum prouinciarum præsertim nobilium nomine vocare. sicut Cantabros non solùm qui verè Cantabri sunt, sed omnes etiam circum gentes appel-

pellamus, & Flandros non illos tantùm qui verè sunt Flādri, sed etia Hānones & Brabātos, & omnes qui sub illo sunt cœlo. Potuerunt etiam Galilæi appellari quānis Galilæi nō essent, quia Iudā illū Galilæū sequebātur. Hos autē de quib⁹ Lucas loquitur Samaritanos fuisse, quamuis Galilæi appellētur, ex hoc ipso loco intelligi potest. dicūtur enim in ipsis trucidati sacrificijs. atqui Galilæi non alibi quàm in Templo Ierosolymitano, vt diximus, sacrificabant: & manifestum est hoc Ierosolymæ non accidisse: & quia tanquam alibi factum narratur: & quia historia Iosephi & Hegesippi, in monte Garizim, vbi Samaria est, testatur accidisse. Accedit, quod si verè fuissent Galilæi, Pilatus eos trucidare non potuisset, cum nō Galilææ sed Iudææ præesset, nec vllam in Galilæos haberet potestatem. Itaque Christum ipsum coram se tanquam reum accusatum, vt Galilæum esse audiuit ad Herodem misit, qui Tetrarcha erat Galilææ, Lucæ vicesimo tertio capite, sexto versu. Samaritani verò, quamuis Samaritani Galilæi aliquando vocarentur, tamen quia Galilæi verè non erant, sub Pilati erant iurisdictione, vt ex ijsdem auctoribus Iosepho & Hegesippo colligitur. Ita potuit Sama-

ritanos Pilatus occidere. Sic Maldonatus. Sed in reddenda ratione diuersæ appellationis Galilæorum & Samaritanorum apud Lucam & Iosephum, videtur vtique falli Iesuita, perinde ac Cæsar Baronius in Annalibus, anno Domini primo, ac tricesimo tertio, arbitratus Galilæos fuisse non tam natione quàm secta, vtpote Iudæ Galilæi sectarios, qui negarent tributum pendendum esse Cęsari Imperatori Romano, vel offerenda pro eo sacrificia: quod apparet planè contrarium iudicio Vitellij Romani Præsidis, eos absoluentis crimine lęsæ maiestatis.

Quinimò eius contrarium apparet esse verum: videlicet non tam natione quàm secta fuisse Samaritanos, quemadmodum Caluinus noster apertè significat, & ipse contextus historię Iosephi, suffragãte quoque Maldonato euidenter arguit, vtpote eos oppressos referens in conuentu ad offerenda sacrificia in monte Garizim, vbi hæresi Samaritanæ solenne anteà fuisse sacrificare & adorare, tũ ipse Iosephus, Antiquitatum libro vndecimo capite octauo, auctor est, tum etiam mulier Samaritana, in colloquio cum Christo, Euangelij Ioan-

Ioannis capite quarto manifestè testatur, inquiēs, *Patres nostri in hoc mōte adorauerunt*: quem quidem montem fuisse Garizim & omnes interpretes consentiunt, & Fons Iacobi ad eius radices situs euidenter arguit. Itaque per errorem Iosephus gentis Samaritanorum imputauit, quod alioqui sectæ Samaritanorum, permistis etiam fortè nonnullis natione Samaritanis, in Samariæ regione & Pilati prouincia contigit. Enimuerò etsi plerique Galilęorum Iudaicam religionē amplexati Hierosolyma frequentarent: tamen haud paucos eorum interim Samaritice superstitioni addictos fuisse verisimile est, quum olim ad regnum [illegible] prouinciam Samarię pertinuissent, & [illegible] regionem viciniorem adeoque intercapedinem inter suam & Iudæam habuerint. atque admodum probabile est, quod arbitrantur Albertus & Hugo, causam inimicitiarum inter Herodem & Pilatum fuisse, quod Pilatus Galilæis, hominibus ex Tetrarchia Herodis, vim intulerat. Samaritanos autē eo seculo appellari solitos esse, qui secta tantummodo tales essent, gente verò Galilæi, luce meridiana manifestius est, ex eo

quod apud Ioannem, in Euangelio, Iudæi qui capite ſeptimo teſtati ſunt ſe noſſe Chriſtum fuiſſe gente *Galilæum*, capite octauo ijdem eidem dicunt, *Nonne benè dicimus te Samaritanum eſſe, & Dæmonium habere?* quod omnino ſpectat ad doctrinam & ſectam: non ad genus aut nationem.

Quocirca hinc ſuppeditatur ſeptima ratio confirmandę ſententię noſtræ de tempore baptiſmi & prædicationis & crucifixionis Chriſti: quatenus nimirùm idem Ioſephus ſcribit, primates Samaritanorũ, ſiue Galilæorum hæreſim Samaritanam ſecutorum, & in Samaria occiſorum, adeũtes Vitellium Syriæ præſidem, cędis accuſaſſe Pilatum: Vitellium autem ea occaſione, miſſo Marcello amico ſuo ad procurationem Iudææ, iuſſiſſe Pilatum proficiſci Romam ad dicendum cauſam coram Imperatore, ac reddendam rationem eorum quorum Prouinciales ipſum accuſarent: ac Pilatum quum neceſſe haberet parere Vitellio, ad Vrbẽ iter ſuſcepiſſe: quo priuſquàm peruenireț, vita exceſſiſſe Tiberium. vnde ſicut ea legatio Samaritanorũ ſiue Galilæorum neutiquàm audita videtur

turante desinentem ęstatem anni quo cōsules fuerunt Plautius Lælianus & Papinius Gallienus, Vitellio è Mesopotamia reuerso à bello Parthico, quod duabus æstatibus ab initio præfecturæ eius gestum fuit, vti refert Tacitus, sexto Annalium, suffragante Dione, libro quinquagesimo octauo; ita manifestè apparet cędem illam à Pilato perpetratā esse intra postremum demùm annum & Præfecturæ suæ & Imperij Tiberij: ac proinde ad illud vsq; tempus, nempe vernam tempestatem siue medium vicesimi secundi anni Tiberij, Christum in terris versatum esse, ideoq; ipsum neutiquam ante initium deciminoni anni eiusdem baptizatum fuisse. Atq; hæc ratio est in primis valida.

Cap. XXI.

Octaua notatio temporis completi ministerij Christi, & cruciatus mortisque eius, ac è mortuis resurrectionis, adhibetur partim à Luca asserente cum Matthæo & Marco, Christum vespera prędcedente cruciatum comedisse Pascha cum discipulis suis *die quo oportebat mactari*

Pascha: partim à Ioanne clarissimè significante *Iudæos præparasse se ad comedendum Pascha* vespera diei sequentis quo Christus morti condemnatus & crucifixus est, quem quidem diem sicut ex ipso pariter ac cæteris Euangeliographis constat fuisse sextum diem septimanę, ita ex eodem collato cum cæteris cõsequens est ipsum fuisse decimumquintum diem primi veri mẽsis verni, ac primum diem Festi azymorũ legitimo ritu, sed tantummodò decimum quartum diem primi verni mensis iuxta rationem anni tunc vulgari Iudæorum vsu accepti, cuius desinentis vespera vtique ex Lege Mosaica ipsi putabant Pascha mactandum & comedendum esse: adeo vt valdè mirum videri queat, extitisse qui rei adeò claræ tenebras offundere conati sint, contendendo, partim, Iudæos comedisse Pascha eadem vespera qua Christum, partim, Christum ipsum vno die legitimum tempus comedendi Pascha anteuertisse: quorum ipsa discrepantia opinionum, errorem amborum satis redarguit. Erat autem eodem die plenilunium verum, ferè septẽ horis medio prius, paulo plus sedecim horis à media nocte præcedente, ac

quatuor

quatuor à meridie Hierosolymis, circa idē tempus quo Christus à cruce sublatus & sepulturæ mandātus est: tricesimo die mēsis Martij, anni Iuliani octogesimi primi, ac ferè medij vicesimi secundi anni Imperij Tiberij, transacta integra annorum septimana à medio eiusdem anno decimoquinto, ac dimidia septimana ab incepto decimonono.

Itaque hinc suppetit octaua ratio confirmandæ sententiæ nostræ de tēpore baptizati & crucifixi Christi: quandoquidem illo demùm anno solo post Tiberij decimum quintum, idem dies septimanæ sextus videatur fuisse decimus quintus primi verni mensis veri anni Israelitici, pariter ac decimus quartus Nisan mensis primi Iudęorum Calippici Syromacedonici. etenim decimo quinto die anteà, decimosexto die Martij, contigit nouiluuium, tum medium iuxta nostram octodesexcentenariam periodum Astronomicam, cuius tunc inibat annus quadringentesimus octogesimus octauus, vtique sexto die septimanæ, transactis paulò amplius quatuor horis à præcedente media nocte Hierosolymis, tum etiam verum circiter tredecim-

horis posteà: vnde apparet illũ fuisse primum diem primi naturalis mensis verni. Diei autẽ insequẽti Martij decimo septimo, ac septimanę septimo conuenit initiũ Nisan primi vulgaris Iudaici mẽsis verni, pariter ac Xãthici Syrogræci anni sexagesimi primi quintę sex & septuaginta ãnorũ periodi Calippi: vtpote cuius epocham declarauì decimoquinto capite Tract. mei de variis annorũ formis, constitutam esse ante annos tercentum sexaginta quatuor, medio Olympiadis cẽtesimæ duodecimę, die tricesimo Iulij Iuliani proleptici; annos autem embolimæos medio aut fine, tertium, sextum, nonum, vndecimum, decimumquartum, decimumseptimum, ac decimumnonum, cuiusque enneadecaeteridis; communes autem die abundantes in fine, quartum quemque, id est, quartum, octauum decimumtertium, ac decimum octauum, excepto decimooctauo, siue postremo quarto enneadecaeteridis quartæ ac postremæ; menses verò alternos tricenum & vndetricenum dierum, exceptis embolimis, & duodecimis communium die abundantium, item tricenariis. Idem autem illo anno euenit iuxta Scaligeranã

periodi Calippi expositionem. Atqui etiã decimonono anno Imperij Tiberij, iuxta hanc, nostram formam periodi Calippi, Xanthicus Syromacedonicus & Nisan Iudaicus iniuit septimo die septimanæ, nempe vicesimoprimo die Martij. Verùm primus naturalis mẽsis vernus non iniuit die proximè præcedente septimanæ sexto, verùm biduò antè, quinto septimanæ: quo & medium & verum nouiluuium contigit paulò post meridiem Hierosolymis. Neque verò initialium dierum primi ac septimi mẽsis, siue Nisan ac Tisri, dilationes Iudaicæ, ex rectẽtiore anni forma multis posteà seculis excogitatæ, vt decimotertio capite prędicti Tractatus declaraui, locum istic habẽt: quæ si tunc in vsum admissæ vel legitimæ habitæ essent, neq; illo neq; vllo alio anno mensis Nisan siue primus vernus iniuisset sexto die septimanæ, neq; oportuisset mactari Pascha sub vesperam desinentis quinti diei septimanæ, tanquam decimiquarti diei eiusdem mensis, quod Lucas apertè dicit. Porro anno decimooctauo Tiberij, Nisan Iudæorum cum Xanthico Syrogræcorum iniuit tertio die septimanæ, vtpote primo Aprilis. Itaque

neutro illorum, nec vllo alio, vt dixi, anno post decimumquintum Imperij Tiberij, initia primi naturalis mensis verni acvulgaris Nisan Iudaici pariter conuenerunt, illud sexto, hoc septimo diei septimanæ, nisi demùm vicesimo secundo anno Imperij, eiusdem. Vnde apparet illo demùm anno Dominum Christum crucifixum esse, dicto tricesimo die Martij, atque à mortuis tertio inde die resurrexisse, die primo septimanæ, inde videlicet appellato Dominico, quum idem dies esset etiam primus Cæsarei Romanorum mensis Aprilis, qui mensis vtique primus anni solaris antiquis Christianis habitus est, vtpote in quo Paschalis mẽsis lunaris plerũq; cõpleretur; cuius itẽ primus dies, quo Christus apparuit primitię resurgentiũ à mortuis, fuit solẽnis dies primitiarũ inchoatæ messis, tum verus, tum etiã quoad Iudæos eodẽ illo ãno: quo deinde itidẽ Pẽtecoste & vera & Iudaica ineundem diem incidit.

Cæterùm eodem die Martij tricesimo ac eodem anno Domini iuxta vulgi calculum tricesimosexto, Christi passionem contigisse, contendit Paulus de Middelburgo Episcopus Forо Sempronięnsis, immenso volumine duodecẽtum abhinc an-

nis edito: cuius post editum libellum de emendatione Temporum, copiam mihi fecit primùm Philobiblus Crashamus noster, anteà ne de nomine quidem satis mihi noti: Postea autem suppeditauit etiam bibliotheca Nobilissimi Principis, id verò operis Paulus ille de suo nomine Paulinã appellauit: ac in duas partes diuisæ, priorẽ de recta Paschæ obseruatione, quatuordecim libris comprehensam, Leoni decimo eius nominis Pontifici Romano, posteriorem de die passionis Domini Christi extẽsam ad librũ vsq; decimũnonũ, quod decimo nono anno Imperij Tiberij, ipsius passionem contigisse arbitratus esset, Maximiliano Imperatori Romanorum dedicauit. Sed quum Paulus hoc confirmare conatus sit, partim è recentiore forma anni Iudaici, partim ex eclipsi Solis quam Eusebius in Chronico, quanquam Dione auctore, malè statuit sub mortem Cæsaris Augusti, cuius occasione hic decimum nonum annum Tiberij differt vsq. ad dictum tricesimum sextum annum Domini Dionysianum, partim deniq; aliis potiùs somniis quam rationibus, nedum oraculis vt ipse appellat: eatenus meritò reprehensus

est à Ioanne Lucido, in libro de vero die passionis Christi. Ne quis verò mihi imputet temeritatem vel nouandi libidinem, quod Domini Christi passionem demum vicesimo secundo anno Tiberij statuam, quam plerique post Eusebium statuerunt decimooctauo: quum Foro Sempronicsis tot abhinc annis neglecta eius auctoritate, & post eum Scaliger, alijque eandem statuerint decimonono, Onuphrius autē in commentario Fastorum, anno quo plenilunium fuit vicesimotertio die mensis Martij eodemq; tertio septimanæ siue die Martis, quod omnino conuenit vicesimo anno Tiberij, atque Baronius in Annalibus consulatu Lucij Vitellij & Pauli Fabij Persici vtiq; conueniente eidem anno vicesimo, neutiquam decimooctauo cui ipse ineptè applicat: præsertim verò quum ex antiquis, alij vt Tertullianus eiusdem anno decimoquinto, alij vt Clemens Alexandrinus decimosexto ipsam statuerint. Epiphanij autem calculus eandem ad decimumseptimum referat: vnde constat neque antiquis neq; recentioribus de anno Imperij Tiberij quo Christus crucifixus sit conuenire. non ita pridem verò Laurē-

tius

nius Suslyga ingente apparatu & hiatu atq; Iesuitæ Theologiæ Doctoris & Cancellarij vniuersitatis suggestione, qui (vt ipse scribit) cibum hic ei præmansum in os inseruit, (scilicet neglectis historiæ frugibus traditionum glande saginauit,) quāquam haud perinde Ioanne Kepplero Cæsaris Mathematico comite, libro edito contendit Christum passum esse anno Domini vulgari Dionysiano tricesimoprimo, ac propterea decimoseprimo imperij Tiberij: fundamēto opinionis suæ posito, quod Synodus Cæsareensis à Theophilo episcopo homine Syrogræco, habita nomine Victoris papæ Romani contra Quartadecimanos, tradatur statuisse Christi resurrectionem è mortuis die octauo Calendas Aprilis siue vicesimo quinto die Martij, nempe Cęsareo cardine verni æquinoctij, cui quidem constitutioni suppositiciæ & nimis inconsideratæ, vt iamdudum collegimus, decimonono capite Tractatus nostri de variis Annorum formis, è dierum calculo iuxta Latinum morem duntaxat, ac inepta non modo terminorum sed etiam dominicorum Paschalium coercitione inter vicesimum secundum diem

Martij & vicesimum primum Aprilis (præsertim quum etiam medium nouilunium Paschale illo anno contigerit duodecimo die Martij, septimanæ secundo, plenilunium autem vicesimoseptimo die eiusdem mensis, atque septimanæ tertio, quum ad cõfirmandam illam opinionem debuisset vicesimo tertio die mensis, septimanæ sexto,) amplius confutanda non est cur immoremur : quandoquidem ipse quoque Kepplerus Astronomus professus sit : se quo loco eum (nempe Suslygam) de Passionis anno differentem legit, proiecto libro calamoque stomachabundum sese proripuisse de Tabulæ nimirum quòd Traditionibus nimium tributum repererit.

Cæterùm quod ad Solis eclipsin attinet quam Eusebius & alij ex Phlegõtis Chronologia referunt ad tẽpus cruciatus Christi, quasi propter verba Euangelistarum: nec Euangelistarum quisquam dicit Solẽ tunc passum esse eclipsin, sed tantùm obscuratum esse, nimirum densis nubibus aut caligine, in tota illa terra, Iudæa scilicet: neque ipse sibi constat Eusebius de anno quo eiusmodi eclipsis contigerit, vtrum sci-

scilicet anno Tiberij decimooctauo cui conuenit annus tertius Olympiadis ducētesimæ secundæ, an quarto siue vltimo anno eiusdem Olympiadis, cui decimus nonus annus Tiberij. porro neque idem Eusebius, nec quisquam alius ausus est Phlegonte auctore asserere eclipsin Solis contigisse, vel plenilunio, vel illo die, vel illo mense, vel illa tempestate anni, vel deniq; in illa regione nempe Iudæa, quibus Christus crucifixus est. quin potius Phlegontis verba apud Eusebium innuunt eclipsin illam maximam contigisse in Bithynia, videlicet ibidem vbi terræmotus. quod si in BithyniaSolis eclipsis vniuersalis fuit, fuit sanè tantum partialis in Iudæa: atque minimè magna in Heliopoli Ægypti, vbi nimirum auctor Epistolarum editarum sub nomine Dionysij Areopagitę se eam conspexisse scribit. qui idem auctor satis inde prodit vanitatem suam, superque ex eo, quod porro asserens eiusmodi eclipsin cōtigisse circa pleniluniū quadam feria sexta, id est (Christianis à Constantini Imperatoris seculo) quodam die septimanæ sexto, neq. diem mensis, neq. mensem, neque annum designet quo contigerit, quum di-

cat se examinasse ipsam ad canones Astronomicos: quasi autem verisimile sit Dionysium Areopagitam antequàm recepere Christianam fidem, aut Apollophanem sophistam eius socium magis caluisse de septimanarum Iudaicarum quàm de mensium Athenienſium aut Ægyptiorum.

Nona temporis completi ministerij passionisque & resurrectionis Christi notatio suppetit ex annis Herodis Tetrarchæ quem Lucas eodem tempore Hierosolymis ádfuisse scribit: quatenus Epiphanius, suprà allegato primo libro contra Hæreses, capite de Christi peregrinatione in carne, refert ipsius Seruatoris nostri passionem & resurrectionem contigisse vicesimo anno Tetrarchiæ Herodis, post Archelai relegationem: ita scribens. *Archelaus nouẽ annis regnat. &c. & regnat Herodes* (completo) *anno nono regni patris* (imò fratris) *Archelai per successionem. quo tempore tredecim anni supputantur aduentus Christi in carnem. Decimooctauo autem anno Herodis appellati Agrippæ* (voluit dicere Antipę) *incepit Iesu prædicare*, (nimirùm in Galilæa, iuxta tres priores Euangeliogra-

phos,) *& tunc baptisma à Ioanne accepit*: imò verò Ioanne Baptistâ tunc in carcerem coniecto, post annum quàm Christus ab eo baptisma acceperat, quem annũ quia tres priores scriptores historiæ Euãgelicæ silentio prætermiserunt, inde Epiphanius aliique (vt suprà dictum) sumpserunt occasionem opinandi Christũ prædicasse tantum duos annos integros & dimidium post baptismum quod & sequentia verba arguunt:) *& prædicat annum acceptabilem, ita vt nemo ei cõtradicat*: quibus manifeste alludit ad Christi concionẽ Nazarethæ, post coniectum Ioannẽ in carcerem, ex Esaia habitam, qua de paulò supernis,) *neque Iudæi, neque Græci, neq; Samaritæ, neque quisquam alius. deinde contradictionem sustinens prædicauit annum secundum: & facti sunt anni decem & nouem eidem Herodi, Seruatori verò tricesimus secundus.* (vtique transactus, inchoatus autem tricesimus tertius.) *Vicesimo autem anno Herodis Tetrarchæ appellati sit salutaris passio, & à passione alienitas, ipse mortis gustus vsque ad crucem patientis in veritate, à passione verò alieni ac illæsi manẽtis in deitate. &c.* Similia autem profert libro ter-

tio, contra Antidicomarianitas, hæresim septuagesimam octauam.

Inde autem suppetit nona ratio confirmandæ sententiæ nostræ de tempore ministerij & passionis Christi. Siquidem quum suprà demonstratum sit Archelaum relegatum esse circa finem secundi anni Imperij Tiberij: decimus octauus annus Herodis Tetrarchæ putatus ab eo tempore iniuerit vnà cum vicesimo anno Tiberij, quo anno ipsius Herodis testatur Epiphanius, secundum dictos tres priores Euangelicæ historiæ scriptores, Christum cœpisse prædicare in Ga[illæ]a acceptabilé annum Domini: vicesimus autem annus Herodis eiusdem iniuerit vnà cum vicesimo secundo anno Tiberij Imperatoris, cuius proinde vicesimi secundi anni Tiberij, perinde ac vicesimi Herodis Tetrarchæ, medio, Christum mortem patiendo vicisse consequens est. Relegatus verò est idem Herodes à Caio Caligula Imperatore, adempta Tetrarchia, vt constat ex Iosephi Antiquitatum libro decimooctauo, capite nono, collato cum libro decimonono, capite postremo, quarto anno postea, vtpote, veluti etiam supra dictū, sub

quar-

quartum annum Imperij Caij, circa medium autem Tetrarchiæ suæ à relegatione Archelai, annum vicesimum quartum, iuxta Eusebium in Chronico, & Sulpicium Seuerum libro secundo. At idem Sulpicius referens Christum crucifixum decimo octauo anno eiusdem Herodis, Fusio & Rubellio Geminis consulibus, qui inciderunt in decimumquintum annum Tiberij: vtiq. ipse vnà cum Orosio, libri septimi initio ferè, post Tertullianum suprà allegato capite libri contra Iudæos, & Iulium Africanum apud Hieronymum cõmentario in nonum caput Danielis, & Lactantium libro quarto Institutionum, capite decimo, tempus passionis Christi pro tempore cœpti prædicari Euangelij, & tempus cœpti prædicari Euangelij pro tempore baptizati Christi, & tempus baptizati eius pro tempore quo post Ioãnem coniectum in carcerem ipse in Galilæa prædicare cœpit, per errorem accepit.

Cap. XXII.

Decima notatio temporis completi ministerij & passionis Christi ad-

hibita est à Ioanne, semel atq; iterum referente *Caiapham Annæ generum, fuisse summum Sacerdotem illius anni.* Enimuero Caiapham tunc multis annis fuisse Summum Pontificem, vtpote à Valerio Grato Iudææ Præside constitutum, apparet ex Iosepho, Antiquitatum libri decimi octaui capite tertio verbis suprà allegatis. Quod autem Lucas initio tertij capitis, ad tempus cœpti promulgari Euangelij à Ioanne Baptista, & quodammodò etiam Ioanne Apostolus ad hoc tempus adiudicati moti Christi, adiungunt illi Annam siue Annum ipsius socerum, non est ita intelligendum quasi duo simul aut alternantibus vicibus eodem munere fungerentur: sed vel quod Annas erat Princeps sacerdotum eiusdem classis, vel quod esset Princeps Synedrij sacerdotalis cui permissum esset iudicium de controuersiis religionis, vel quod ætatis aut opum ratione ijs temporibus illius è genere Archieratico Hierosolymis maxima esset auctoritas, vel denique quod quum summum Sacerdotium à præside Romano iunctis opibus vnà cum Caiapha genero suo redemisset siue promercatus esset, emolumentorum quoque

eius particeps foret, licet gener solus mu-
neris functionem obiret. Præterea verò
quod Lucas, quarto capite Actorum Apo-
stolorum in narratione Synedrij Princi-
pum Sacerdotum & Seniorum & Scriba-
rum Hierosolymis habiti ob sanatum à
Petro & Ioanne claudum post Christi re-
surrectionem & ascensionem in cœlum,
quasi κατ' ἐξοχὴν appellet Annam Summum
Sacerdotem siue Pontificem, quum Caia-
phan summi sacerdotij functionem vtiq;
adhuc obiuisse, ipsum verò Annam siue A-
nanum diu antea circa initiũ Imperij Ti-
berij, nec posteà vnquam, ex Iosepho locis
item superiùs allegatis, & aliis deinceps
constet, sicut etiam postea Ananiam sub
finem præfecturæ Felicis, cui sub eiusdem
initium Ionatham surrogatum refert Io-
sephus: enumeratis modo rationibus hanc
addiderim: nempe postquàm Romanorũ
Præsidum auaritia inoleuerat mos subro-
gandi & substituendi alium alij in summo
Sacerdotio Tẽpli Hierosolymitani, quod
ante Herodis regis tempora Sacerdos sũ-
mus gerere solebat vsque ad mortem: vi-
deri quotquot ipsum vsquàm obtinuerant
etiam postquàm officio fungendo abdica-

ti erant, retinuisse saltem titulum summi Sacerdotis vsque ad mortem, quorum hoc tempore antiquissimus maximæq; auctoritatis, ideoque præses Synedrij Sacerdotalis, fuerit Annas socer Caiaphæ summo Sacerdotio tunc fungentis, & pater Ionathanis successoris eius. Certè quidem Annani illius senioris summam auctoritatem manifestè significat Iosephus, Antiquitatum libro vicesimo, initio capitis octaui, itidem suprà allegato, vbi prædicat eum habitum fuisse omnium felicissimū, qui haberet quinque filios, omnes potitos summo Pontificatu, postquàm ipse ad senectutem eo, esset perfunctus.

Libro autem decimooctauo, capite sexto, idem Iosephus refert *Vitellium Syriæ Præsidem*, postquam Marcellum Pilato iusso abire Romam ad respondēdum obiectis coram Cæsare successorem ad procurationem Iudææ miserat, (neutiquam trieennio antè, vt Scaliger putat, Prolegomenis in Chronicon Eusebij:) *ipsum venisse Hierosolyma sub festum Paschatis, ibique in locum Iosephi Caiaphæ summi Pontificis, subrogasse Ionathanem eiusdem Anni summi Pontificis:* (ita enim ipse etiam loqui-

loquitur, ἀρχιερῶς) *filium, statimque redijsse Antiochiam, & accepisse à Tiberio literas mandantes vt cum Artabano amicitiam & fœdus faceret.* eaque occasione summatim referens historiam belli Parthici sub Vitellio Tiberij legato per duas æstates gesti, cuius paulò superiùs ex Taciti sexto Annalium, & Dionis quinquagesimo octauo, memini, atq. Artabani, postquàm à Teridate ope Vitellij rege Parthorũ constituto expulsus fuerat, vt idem Tacitus ibidem refert, in regnum reuersi, denuò subiungit: *His auditis Tiberius petijt amicitiam Artabani.*&c. Ex quibus consequẽs est illum Vitellij aduentum Hierosolyma sub festum Paschatis, quo Caiaphæ Ionathanem summum Pontificem subrogauit, contigisse sub ipsam mortem Tiberij, trãsacto ferè dimidio anno vicesimo tertio Imperij eius, Acerronio Proculo & Pontio Nigrino consulibus: quandoquidem ex contextu historiæ Taciti manifestum sit Artabanum reuersum esse in regnum demùm autumno anni præcedentis quo consules fuerunt Plautius & Papinius: Vitellio haud ita multò anteà æstate adulta reuerso ex Mesopotamia. Atq. inde simul

apparet Vitellium sub idem tempus accepisse literas à Tiberio,(nempe post missas ad Tiberium ab Herode Tetrarcha literas, non de federe facto cum Artabano vt per errorem retulisse videtur Iosephus eodem capite, sed de Teridate antea constituto rege Parthorum, Romana ope in ripa Euphratis, quemadmodum narrat Tacitus,)vt vlciscereturHerodem inferendo bellum Aretæ regi Arabum: eaq; occasione confestim post factum fedus cum Artabano, reuersum esse Hierosolyma eadem æstate,ibiq. in Ionathanis locum summo Pontifice substituto Theophilo eius fratre Anani item filio, *accepisse nuncium de morte Tiberij,& Caio declarato eius successore in Imperio,ideoque adegisse populum iurare in huius verba: & omissa expeditione Arabica exercitum dimisisse.*

Itaque hinc suppeditatur decima ratio confirmandæ sententiæ nostræ de tempore completi ministerij & passionis Christi, quatenus Ioannes referens Caiphan fuisse Summum Sacerdotem illius anni, significet eum,licet pluribus annis præcedentibus fuerit, anno tamen sequente non amplius futurum:ideoq;intra annum post quin

quàm Christum blasphemię insimulatum Pilato Præsidi Romano cruci damnãdum tradiderit, ipsi summum Pontificatum pariter ac Pilato Iudææ Præsidatum abrogatum, simulq, ipsi Tiberio Imperatori Imperij vitæque finem impositum esse.

Vndecima notatio temporis completi ministerij & passionis Christi suppetit ex iis quę deinceps egisse & passus dicitur Pilatus supremis tẽporibus Imperij Tiberij. Nã circa initium vicesimitertij anni Tiberij, vt annotatũ est in Eusebij Chronico, atq. idem refert Ecclesiasticæ historiæ libro secundo & capite secundo, *Cum iam incredibilis & admiranda Seruatoris nostri resurrectio atq; etiam ascensio in cælos quàm plurimis peruulgata percrebresceret, cumq. apud prouinciarum magistratus & præfectos inueteraſceret consuetudo, vt signa noua & inaudita apud illos fortè obtingerent, Imperatori significarent, quò nihil eorum quæ euenirent illum subterfugerent: Pontius Pilatus Iudææ præses, de resurrectione Seruatoris nostri Iesu à mortuis quæ per omnium ora iam in vniuersa passim Palæstina hominum sermone ac fama peruasisset, vtpote qui, cum alia eius miracula auditione accepisset, tum*

etiam quo pacto post mortem denuò à mortuis suscitatus, iam Deus à multis pro vero crederetur, Tiberium per literas certiorem fecit. Ita Eusebius in historia. Paulò autem posteà idem Pilatus, qui Iesum Christum haud ita dudum per iactantiam interrogârat, ecquid intelligeret se potestatem habere vitæ ac necis eius, à Lucio Vitellio Syriæ Præside, vt antè dixi, nuper è Mesopotamiâ (vbi Teridatem regem Parthorũ Artabani profligati vice constituerat) reuerso, iussus est Romam discedere ad reddendas Imperatori rationes eorũ quorum prouinciales ipsum accusarent, Marcello successore ei in Iudæam misso, postquàm ipse decem annos in eius præfecturâ transegisset: vt refert Iosephus suprà allegato Antiquitatũ libro decimooctauo, capite quinto. Sed Methodio auctore refert Marianus Scotus in Chronico suo, Tiberium Imperatorem postremo Imperij sui anno Pilatum è prouinciâ reuocatũ misisse in exilium propterea quòd Iesum citra suam & Senatus Romani cognitionem morti adiudicasset. Quod vt vt sit, in eo certè illi cum Eusebio conuenit, recẽtem famam resurrectionis Christi è mortuis, &

tuis, & ascensionis in cœlum, atq. miraculorum per Apostolos eius editorum, perlatam esse Romam vltimis temporibus & Imperij Tiberij & præfecturæ Pilati. Vnde suppetit vndecima ratio confirmandæ sententiæ nostræ, Christum crucifixum esse sub postremum annum vtriusq; quandoquidem sub vtriusq; finem, resurrectionis eius tanquam quæ paulò antea adeoque nuperrimè contigerit, confestim ex antiquo more missus, primus nuncius Romam peruenerit.

Porro autem obseruatione dignum est, quod Tacitus libro sexto Annaliũ refert, *Lucio Vitellio & Paulo Fabio Persico consulibus, post longum seculorum ambitum auẽ Phœnicem in Aegyptum venisse, & prabuisse materiam doctissimis indigenarũ & Græcorum multa super eo miraculo disserendi:* Dion autem libr. quinquagesimo octauo, *Plautio Laliano & Papinio Gallieno consulibus Phœnicem auem in Aegypto apparuisse* refert, *& visam pranunciare mortem Tiberij.* At enimuerò ex Dione collato cum Tacito appareat Phœnicem illam, quum apparuisset per biennium, tunc disparentem, potiùs significasse eodem ipso anno

verum Phœnicem illum vnicum Dei filium Iesum Christum, postquàm in vicina regione Iudæa ferè biennio à decollatione Ioannis Baptistæ, Euangelio prædicando & miraculis edendis maximè claruisset, relictis terris, de deuictis Diabolo peccato & morte triumphantem in cœlum ascendisse ac cœlestem patriam repetiuisse.

Duodecima notatio temporis completi ministerij Christi, eiusque resurrectionis à mortuis & ascensionis in cœlum, suppetit è tempore lapidationis Stephani Protomartyris, & conuersionis Sauli siue Pauli Apostoli: quatenus Hippolytus Thebanus, vt refert Michael Glycas in tertia parte Annalium, & Euodius Apostolorum successor, vt refert Nicephorus Calliſtus, historiæ Ecclesiasticæ libro secundo, capite tertio, tradiderint *Stephanum lapidatũ esse annis septem à resurrectione Christi, Paulum autem conuersum ad Christi fidem sex mensibus posteà.* Enimuerò si Hippolytus Thebanus & Euodius ille, quicunque viri & cuiuscunque antiquitatis fuerint, necem Stephani & intra semestre consecutam conuersionem Pauli, anno septimo

post

post cruciatum Christi statuerunt, manifestum quidem errorem eatenus admiserunt. sin verò, quod est verisimilius, eandē contulerunt ad annum septimum duntaxat à decimo octauo Imperij Tiberij, quo Glycas & Calliſtus cum Cæsare Baronio & vulgo Christianorum ab Eusebij seculo, Christum crucifixum retulerunt: hactenus non tam errorem ipsi admisisse, quàm vulgaris erroris corrigendi ratione ostendisse videantur: quia hoc pacto Stephani martyrium, procul dubio haud ampliùs biennio Christi in cœlum ascensionem consecutum, conueniens secundo anno Imperij Caij paulò antè incepto, ineūte vere: ipsam ascensionem post mortem & resurrectionem Christi, rectè confert in medium vicesimum secundum annum Tiberij. Atque ita Hippolytus & Euodius præsertim quum iis astipuletur etiam Marianus Scotus, quatenus haud sanè de nihilo Ordinationis septem Diaconorum mētionem repetit primo anno Caij, Pontio & Nigrino consulibus, suppeditauerint duodecimam rationem confirmandæ sententiæ nostræ de annis baptizati & crucifixi Christi. Saltem verò eo haud leue mo-

mentum attulerint ad sententiæ nostræ confirmationem, quatenus consenserint rationem temporum prædicationis & peregrinationis Pauli, rectè sibi constare è constituto tempore conuersionis eius medio anno secundo Imperij Caij.

Cap. XXIII.

Decimatertia notatio temporis baptizati & crucifixi Christi, suppetit *ex initio abominandæ desolationis* siue *exitialium calamitatum populi Iudaici* confestim post completam septuagesimam & postremam annorum hebdomadem prophetiæ Danielis, qua ineunte, Christi manifestationem siue reuelationem tempore Baptismi ipsius factam fuisse, suprà declaratum est, mediante autem antiquatum & abrogatum abolitumq. fuisse sacrificium legale typicum, oblato in cruce vero corporis eiusdem sacrificio, iisdem argumentis & auctoribus constat. Initij autem malorum Iudæis in dies crescentium & inundantium super eos, donec tandem per Romanarum legionum alas desolatorias ac detestandas in ipsos effusas prorsus obruti fuerint, dedit Imperator Romanus Caius Ca-

Caligula: postquàm interfecto Tiberio Tiberij Imperatoris nepote, quem ex eius testamento habiturus erat saltem collegã Imperij, Silanoq. socero, & Macrone præfecto Prętorij, vt refert Philo Iudæus Alexandrinus, libro de legatione ad Caium, *non amplius se continuit intra humana naturæ terminos, sed ad diuinos honores aspirauit.* quod post biennium demùm, tertio anno Imperij fecit, vt ex Dione, lib. quinquagesimo octauo, atq. Iosepho, Antiquitatũ li. decimooctauo, noni capitis fine cõstat. *Tandem autem ausus in vulgus efferre impiam sui consecrationem, pergebat vlterius, & quasi per gradus quosdam paulatim ascendebat*: donec tertio Imperij anno ad finem tendente, sub terium suum consulatum sine collega, *palam & apertè pro Deo se gerens*, adeoque *Omnia transformans se in miracula diuum*, non modò *Iouis Capitolini Templum Romæ*, ac *Iouis Olympij Simulacrum mutato capite in Gracia vsurpare instituit*, sed etiam *Statuam siue Colossum sibi* tãquam summo Deo, *in Templo* veri Dei optimi maximi *Hierosolymitano*, *Petronio Arbitro* post Vitellium *Syriæ præside* erigi iussit. quod non modò Philo am-

plè narrat, eodem libro, itemque Ioſephus eiuſdem libri vndecimo capite, & ex iiſdē auctoribus Euſebius in Chronico annotat a I tertium annum Caij, inquiens, *Caius Petronio Prefecto Syriæ præcepit vti Hieroſolymis ſtatuam ſuam ſub nomine Iouis Optimi Maximi poneret, quod Iudæi maxima negauerunt obſtinatione. Toto orbe Romano, ſicut Philo ſcribit & Ioſephus, in Synagogis Iudæorum* (ita enim conſtat legendum ſuffragante quoque manuſcripto pulchetrimo & optimæ notæ exemplari in Sereniſſimi Principis Henrici Bibliotheca, non contrà, *præterquàm in Synagogis*, vt vulgatæ editiones Baſileenſes habent.) *ſtatuæ & imagines & aræ Caij Cæſaris conſecratæ*: ſed etiam Tacitus idem diſertè ſignificat, duobus locis. quorum alter habetur libro hiſtoriarum quinto in hæc verba. *Sub Tiberio quies erat Iudæis. dein iuſſi à Caio Cæſare effigiem eius locare in Templo, armis potiùs ſumpſere: quem motum Cæſaris mors diremit.* Alter locus duodecimo libro Annalium habetur mutilus in hæc verba. *Sæui præbuerant Iudæi ſpeciem motus orta ſeditione *poſtquàm cognita cæde Caij haud optemperatum eſſet. manebat metus nequi*

Prin-

Principum eadem imperitaret. Hæc Tacitus.

Eodem autem tempore quo hæc in Iudæa agebantur, *legati Iudæorum Alexandrinorum* & Ægyptiensium & Cyrenensium, vt refert idem Philo, qui vnus ex ipsis erat, in fine libri de eadem legatione ad Caium, Romam venientes ad querendum de denegatis immunitatibus concessis olim à Ptolemæis regibus, grauissimisque iniuriis & cõtumeliis illatis, cædibusque & rapinis perpetratis, insigni *ludibrio* coram ipso Imperatore *affecti sunt.* Atque eodem ipso tempore, vt refert Iosephus duodecimo & postremo capite decimioctaui libri Antiquitatum, in *Seleucia ad Ctesiphonte* primariis Babyloniæ ac Mesopotamiæ vrbibus, *plusquam quinquaginta millia Iudæorum occisa sunt*, ac reliqui è plerisque earum regionum ciuitatibus expulsi aut fuga dissipati.

Quocirca hinc suppeditatur decimatertia ratio confirmandæ sententiæ nostræ de tẽpore baptizati & crucifixi Christi: quatenus ipse rerum euẽtus, nempe illud mitium exitialium calamitatum populo Iudaico, post quietem sub Tiberio, ingruen-

tium è tribus hisce insignibus & famosis contumeliis in tribus orbis terrarum partibus, simul contingens, ab autumno siue medio anno tertio Imperij Caij Caligulę, euidēter arguit completas eodem tempore illas conuersioni seu potiùs euersioni reipublicæ pariter ac synagogæ Iudaicæ præfinitas Septuaginta hebdomades Danielis: ac proinde earum septuagesimę siue postremæ initium, quo vngendus fuit Sanctus sanctorum, siue baptizandus & reuelandus Christus, incepto decimonono anno Imperij Tiberij, medium autem, quo idem morte excindendus è terris, sursumq; in cœlū recipiēdus erat, medio anno vicesimo secūdo eiusdē cōuenire. Sed de Septuaginta Hebdomadibus Danielis, Deo volēte, alī erit latiùs disserēdi locus.

Decimaquarta notatio temporis mortis & resurrectionis Christi suppetit ex eo, quod Lucas in actis Apostolorum, quarto fermè anno postea, *postquàm* scilicet *confirmatum esset Euangelij fedus multis Iudæorum, hebdomade vna*, nempe illa Danielis postrema, priore quidem eius parte per ipsum Christum versantem in terra, posteriore autem per Apostolos eius, ac *edificata-*

ficatarum & multiplicatarum Iudæorum aut circumciſorum *Eccleſiarum per Iudæã & Galilæam & Samariam*, corpus quaſi in iuſtam ſtaturam creuerat, in cæteros autẽ Dei ira effundi cœpta erat: ſignificat prima Eccleſiarum Gentium præputiatarum ſemina cœpta iaci in *Cornely Romani Centurionis* familia, *Cæſarea* Palæſtinæ, paulo que poſt, *inter Helleniſtas Antiochia*, in totius Orientis metropoli.

Eodem autem ſpectare videtur Euſebij, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libro quinto, capite decimoſexto iuxta Baſileenſem, decimooctauo iuxta Græcam Pariſienſem editionem, de Apollonio antiquo ſcriptore Eccleſiaſtico verba huiuſmodi. *Deinde refert velut à traditione, Dominum præcepiſſe Apoſtolis ſuis, ne ad annos duodecim, Hieroſolymis diſcederent,* Τοὺς δώδεκα χρόνους μὴ χωρίζεσθαι τῆς Ἱερουσαλήμ. Cuius quidem mandati ſententia videtur neutiquàm eſſe ea quã peiùs apprehendunt quàm reprehendunt quidam, quaſi eo vetaretur quiſquam Apoſtolorum recedere vel excedere Hieroſolymis, idque adeò per annos duodecim à reſurrectione & aſcenſione Chriſti: quin potiùs ne ipſi Apoſtoli à ſe mutuò ſegre-

garentur & separarentur, Hierosolymis relictis credentium ex circumcisione Iudæorum Galilæorum & Samaritanorum adhuc metropoli, profecturi ad disseminandum Euangelium apud exteras nationes & ciuitates Ethnicas siue Gentilium, vt Antiochiam, Romam, & cæteras, vsque sub annum duodecimum post cœptũ prædicari ipsum. Vnde appareat, Euangelium ferè vndecim annis ab eius principio prædicatum fuisse solis Iudæis aut quodammodo siue quadãtenus Iudaizantibus, nẽpe circumcisis: at verò ad præputiatas Gẽtes exportatum & delatum esse demũ circa finem anni vndecimi, videlicet exacta annorum sesquihebdomade ab ipsius epocha: ac propterea ipsius solis Iudæi promulgati semihebdomadem primam imputandam & ascribendam esse Ioanni Baptistę præcursori Christi, ab anno decimoquinto Imperij Tiberij, secundam atque mediam ipsi Christo inter illos versanti, à baptismate Ioannis, tertiam verò Apostolis eius, à tempore excisi ipsius è terris ac sursùm recepti. Etenimuerò ex contextu historię Actorum Apostolorum apparet summum biennij spatium interuenisse

ueniſſe à conuerſione Sauli, ad communicatum Euangelium Cornelio centurioni pariter ac Helleniſtis Antiochiæ: nec alioqui verisimile eſt Apoſtolos Hieroſolymis detentos atque inhibitos eſſe à diſſeminando inter Gentes Euangelio, pluſquàm quadriennio poſt reſurrectionem Chriſti, quod quidem rectè animaduertiſſe videntur ij, qui cæterò quin haud rectè eo nomine illam Apollonij traditionem falſi inſimulauiſſe videantur.

Itaque etiam inde ſuppetit decimaquarta ratio confirmandæ ſententiæ noſtræ, nempe Chriſtum crucifixum eſſe demùm anno viceſimoſecundo Imperij Tiberij, vt poté tantummodò quarto ante communicatum Gentibus Euangelium, quod iis communicatum ſit anno vndecimo poſt ipſius Iudæis prædicari cœpti initium.

CAP. XXIIII.

DEcima quinta notatio temporis completi miniſterij paſſionisq; & reſurrectionis & aſcenſionis Chriſti ſuppetit è tempore *mortis Herodis regis* illius quem Lucas in Actis Apoſtolorum, poſt

necatum Apostolum Iacobum fratrem Ioannis,& coniectum Petrum in carcerē, moxque liberatum ab Angelo Dei,secundum id tempus Imperij Claudij,quo *fama per orbem terrarum ingraueſcente, Saulus & Barnabas Antiochenſium Christianorū eleemoſynas pertulerint Hieroſolyma*,mirabili Dei iudicio *Cæſarea a vermibus inteſtinis corroſum ſubitò interiiſſe* ſcribit. Omnino enim hunc Herodem regem apparet eſſe illum Agrippæ regis filij Aristobuli nepotis Herodis magni fratrem, cui Ioſephus, Antiquitatum libro decimonono capite quarto:ſcribit Agrippam impetraſſe à Claudio Imperatore regnum Chalcidis,ſcilicet regionis vicinæ Tyrię & Sidoniæ:ac deinde in reſcriptis Claudij eundē ſæpiùs regem ſimpliciter appellatum refert.de quo etiam in fine primi capitis vicesimi libri ſcribit in hæc verba. *Eodem tempore Herodes Chalcidis Principatum conſecutus,defuncti Agrippæ frater, petiit à Claudio Cæſare poteſtatem Templi, & ſerarium pecuniarum, & ius ordinandi ſummos Sacerdotes : ac omnia pariter impetrauit.ex illo autem fuit apud omnes eius poſteros eadem poteſtas,vſque ad belli finem.He-*

rodis

rodes itaque à Pontificatu remouit cognominatum Cantharam,& eius loco,Iosepho Cani filio illius honoris successionem contulit. Tertio autem capite eiusdem libri scribit in hæc verba. *Herodes autem rex Chalcidis,Iosephum Camyda filium priuauit Summo Sacerdotio, eique succedere iussit Ananiam Nebedai filium. Tiberio Alexandro successit Cumanus. quo tempore idem Herodes frater regis Agrippæ maioris, defunctus est,octauo anno Imperij Claudij , tres filios derelinquens: Aristobulum, qui ei fuerat de priore vxore progenitus,& ex Beronice fratris filia Beronicianum, & Hyrcanum. regnum autem eius Claudius Cæsar Agrippæ iuniori donauit.* Itaque prorsus apparet historiam illam quam narrat Lucas de Iacobo interfecto & Petro in carcerem coniecto ab Herode rege, planè conuenire in hunc Herodē, qui pro eo iure quod adeptus erat in Templum Hierosolymitanum, & res ad ipsum spectantes, vtpote constitutionem summorum Pontificum, & cætera:talia agere præsumpserit.

Neq; adeò verisimile est quod plerique omnes opinantur, hunc fuisse Agrippam regem præcedentem, quem Iosephus sub

finem libri deciminoni refert mortuum esse transacto triennio Imperij Claudij, tãquam Herodes commune prænomen vel cognomen esset omnibus posteris Herodis magni regibus: etiamsi Tacitus Annalium duodecimo, Pompeio & Verannio consulibus, id est anno Imperij Claudij nono, scribat, *Iturœos & Iudœos, defunctis regibus Sohemo atque Agrippa, prouincia Syria additos:* & Syriaca paraphrasis noui Testamenti, in hac historia habeat *Herodem regem, qui cognominatus est Agrippæ* quæ vtiq. posteà Iacobo fratri Ioannis occiso ab eodem Herode, falso ascribit Epistolam Canonicam Iacobi fratris Domini. Namque vt Philippum Tetrarcham omittam, vbi demùm Archelai, aut Agrippæ iunioris propriis nominibus in nouo Testamento additur commune illud agnomen siue prænomen Herodis? quanto igitur minùs probabile est, huic Herodi tantummodò commune prænomen datũ esse, neutiquàm addito proprio distinctionis gratia? præsertim quum neq; Iosephus Agrippæ regi prænomen Herodis vsquam impertiat. Neque verò omnino idem genus mortis ascribit Iosephus Agrippæ, quod

quod Lucas Herodi, tametsi simile. atque nimirùm non minùs prono errore potuit idem Iosephus genus mortis Herodis, quàm Tacitus tempus mortis eiusdem, haud ampliùs quadriennij differentia, imputare Agrippæ fratri: quod Iosepho adhuc admodum puero, Tacito vix dum nato contigerit. Etenim ipsum Iosephum alioquin eorum alteri ascripsisse quod alteri conueniret, tanquam incertum ad vtrũ referret, ex relatis apud eum ipsorum Sũmorum Pontificum constitutionibus colligere licet. namque quinto capite libri deciminoni, refert Agrippam submouisse Theophilũ Anani filiũ à sũmo Sacerdotio & Boethi tertium filium Simonem, Cantharam cognominatum in eius locum substituisse. sexto autem capite refert eundem Agrippam priuasse Simeonem Cantharã summo Pontificatu, eumque voluisse reddere Ionathani Anani filio, quo nolente iterum recipere, detulisse ad eius fratrem Matthiam. atque septimo & postremo capite refert eundem sub finem regni & vitæ, Matthiæ adempto Pontificatu successorem dedisse Alioneum Cithæi filium. atqui primo capite libri vicesimi, vt dictum

est paulò superiùs, refert Herodem regem defuncti Agrippæ fratrem redegisse in ordinem, siue remouisse à summo Pontificatu cognominatum Cantharam, & eius loco successionem illius honoris detulisse Iosepho filio Canei, siue Camydæ, vt postea appellat. Itaque ostendit se incertum, vter rex, Agrippa, an verò Herodes frater eius, Simoni cognomento Cantharæ, summi Pontificatus successorem dederit. Huc autem proxime accedit alterum duorum, quæ Eusebius, Ecclesiasticæ historiæ libro secundo, capite decimo desinente, post illius de Herodis morte historiæ recitationem ex Iosepho, subiungit: nempe, *errore quodam scriptoris mutatum esse nomen.*

Quocirca hinc suppeditatur decimaquinta ratio confirmandæ sententiæ nostræ de tempore cõpleti ministerij Christi, quatenus illa Sauli profectione Hierosolyma relata ad octauum annum Imperij Claudij, vtpote ad tempus quo mortuus est rex Herodes iuxta Iosephum, vel Agrippa iuxta Tacitum, quæ ab aliis relata est ad annum quartum Imperij eiusdem, vtpote ad tempus mortis Agrippæ iuxta Iosephum: ratio temporis conuersionis &

con-

consecutorum deinceps actorum ipsius Pauli, pariter ac cęterorum Apostolorum, atque iustum interuallum siue distantia à morte & resurectione Christi hucusque, ab aliis obseruatum, vt sibi constet, arguit ipsam Christi mortem & resurrectionem pariter contigisse circiter quadriennio posteriùs quàm vulgo putatum est: ac propterea transferendas esse à decimooctauo vel decimonono anno Imperij Tiberij, ad vicesimum secundum.

Decima sexta notatio temporis completi ministerij passionisq. & resurrectionis Christi suppetit è *tempore* motæ controuersiæ Antiochiæ de cogendis conuersis ad fidem Christianam è Gentibus præputiatis ad circumcisionem suscipiendam ritu Mosaico, *& alius profectionis Pauli cũ Barnaba aliisque comitibus vnà ab Ecclesia Antiochena missis, Hierosolyma*, super illa quæstione: quam quidem profectionem ipse Paulus, initio secundi capitis Epistolę ad Galatas, significat susceptam *decimoquarto anno conuersionis suæ.* quod enim dicit se tunc ascendisse Hierosolyma ex reuelatione, id est, peculiari instinctu & monitu Spiritus sancti: id neutiquàm obstat,

quo minùs eodē tempore ab Ecclesia Antiochena missus fuerit. Et quod alij existimant hanc ex reuelatione profectionem præcessisse illam, cuius occasione Synodus Apostolorum Hierosolymis congregata controuersiam eam ita determinauit, vt decerneret, Christianis Gentilibus neutiquàm imponendum esse iugum siue onus circumcisionis, & cæterarum ceremoniarum Mosaicarum, quod alioqui non sit credibile, Petrum qui in illa Synodo veritati fortissimè patrocinatus erat, postea Antiochiæ id admissurum fuisse, de quo Paulus eum deinceps in eadem ad Galatas Epistola reprehendit: saluo iudicio & reuerentia Theologorum, videtur sanè fieri potuisse, quum Synodi decretum acceptum esset in eam sententiam, vt Gentiles ad obseruationem cæremoniarum legalium, tanquam necessariam ad salutem non cogerentur inuiti, potuisse inquam fieri, vt controuersia deinde inter Petrum & Paulum orta sit, vel de persuadendis ad eam tanquàm conferentem ad Ecclesiæ decorum, vel saltem de admittendis volentibus & vltrò poscentibus, quales nimirùm apparet fuisse ipsos Galatas, quos itidem pro-

propterea acriter reprehendit Paulus. neque verò nobilissimam illam Synodum, memorato capite Epistolæ ad Galatas ita præterit Paulus, quin manifestè ipsam significet iis verbis. *Exposui ipsis Euangelium quod prædico inter Gentes* &c. item, *Quum vidissent mihi cõcreditum Euangelium præputij &c. dextras societatis dederunt mihi & Barnabæ, vt nos apud Gentes* &c. quæ apertè spectant ad ea, quæ dicto capite Actorum narrat Lucas de *Paulo & Barnaba* primò *annunciantibus*, deinde in Synodo *disserentibus, quanta Deus per ipsos effecisset inter Gentes*, tanquam adhuc parùm nota Hierosolymis, posteaque rursùm dimissis ipsis cum honorifica commendatione ad Ecclesiam Antiochenam & cæteras Gentilium.

Itaque hinc suppeditatur decimasexta ratio confirmandæ sententiæ nostræ de tempore mortis, resurrectionis, & ascensionis Christi. quoniam enim ex serie actorum Pauli constat propè triennium interueniſſe inter hoc eius iter Hierosolyma, & præcedens, quo tempore mortuus est rex Herodes inualescente fame: consequens est hoc eiusdem iter factum esse vn-

decimo anno Imperij Claudij, (quo tempore fames maximè inualuit, vt refert Tacitus, duodecimo Annalium, ipso Imperatore quintum & Orfito consulibus, ita vt tunc pauperibus Iudæis Christianis maximè opus videretur eleemosynis Christianorum Gentilium, vt significat Paulus eodem capite Epistolæ ad Galatas,) ideoque ipsius conuersionem decimoquarto anno anteâ, Christi autem resurrectionem & ascensionem, biennio priorem decimo sexto, id est Imperij Tiberij anno vicesimo secundo, saltem dimidia ex parte transacto, contigisse.

Decima septima notatio temporis cõpleti ministerij christi & ascensionis eius in cœlum suppetit ex eo, quod Lucas, initio decimi octaui capitis Actorum Apostolorum, refert *Paulum venisse Corinthũ, ibique reperisse Aquilam & Priscillam nuper eò ex Italia appulsos, eò quòd edixisset Claudius vt omnes Iudæi Roma discederẽt.* Qua de re Paulus Orosius, libro septimo, capite sexto, scribit ita. *Anno Claudij septimo, sub procuratore Iudæa Cumano, in Hierosolymis tanta seditio in diebus azymorum exorta est, vt in portarum exitu populo coar-*

tato,

tato, triginta millia Iudæorum cæde prostrata & compressione suffocata referantur. Anno eiusdem nono, expulsos per Claudium Vrbe Iudæos, Iosephus refert. sed ne magis Suetonius mouet, qui ait hoc modo: Claudius Iudæos impulsore Christo assiduè tumultuantes Roma expulit. quod vtrum contra Christum tumultuantes Iudæos coerceri & comprimi inserit, an etiam Christianos simul velut cognata religionis homines voluerit expelli, nequaquam discernitur. Verùntamen sequenti anno tanta fames Romæ fuit, vt medio foro Imperator correptus à populo, conuitijs & fragminibus panis turpissimè infestatus, agrè per Pseudotyrum in Palatium refugiens, furorem excitatæ plebis euaserit. Paruo autẽ intercedente tempore, triginta quinque Senatores & trecentos simul Equites Romanos interfecit. ipse autem manifestis veneni signis est mortuus. Ita Orosius.

At Iosephus, libro secundo de bello Iudaico, capite decimonono desinente iuxta Græcam editionem, & Antiquitatum lib. vicesimo, cap. tertio desinente, & sequentibus vtrobiq. scribit, neutiquàm ortam illam seditionem Hierosolymis sub Cumano, septimo anno Claudij: sed anno e-

iusdem octauo, quo mortuus est Herodes rex Chalcidis, Cumanum accepisse Iudææ præfecturam, sub quo deinde orta sit. Neq; verò vsquàm apud Iosephum extat, quod ait Orosius eum referre, Iudæos vrbe expulsos per Claudium, anno eiusdem nono: sed cap. quinto vicesimi libri Antiquitatũ ipse narrat, orta seditione inter Iudæos & Samaritas, Cumanũ, vt qui eius causa fuisset, Romam missum esse à Quadrato Syriæ Præside, eiusq. loco Felicem constitutum Iudææ Præsidem. Ex qua quidem Iosephi narratione iuxta antiquam Ruffini translationem Latinam videtur Orosius illud haud omnino rectè collegisse: vt partim apparet etiam ex eo, quod prodigiosam illam famem Romæ imputet anno sequẽti, quam Tacitus vt modò dictum, vndecimo Claudij anno ascribit: quanquam in eo etiam errasse videatur Orosius, quòd hãc illam sequenti anno imputauerit, quæ præcedenti conuenerit. Verba Ruffini interpretis, paulò antiquioris Orosio, præcipuè ad rem facientia, hæc sunt. *Cumanus autem, & qui cum eo erant, nec non & primi Samaritanorum, Romam directi, acceperunt ab Imperatore constitutum diem in quo deberem*

berent verum suarum causas exponere. habebant enim patrocinium Cumanus & Samaritæ libertorum Cæsaris & pariter amicorum. qui scilicet prævalere potuerant contra Iudæos: nisi Agrippa iuuenis cum Roma cõsisteret, & primos Iudæorum opprimi videret, uxorem Imperatoris Agrippinã supplicit er exoraſſet, vt marito ſuaderet, quatenus decenter audiens, ſua iuſtitia ſeditionem premeret auctores. Claudius autem his precibus perſtrictus, cauſam audiens, dum agnouiſſet malorum Principes fuiſſe Samaritas, eos quidem, qui aſcenderant ad eum, iuſſit occidi. Cumano autem fugam dedit. Celerem millenarium præcepit in Hieroſolymis duci, & omnibus videntibus per totam vrbem tractũ laceratumq. diſperdi. Miſit autem & Claudius Felicem, Pallantis fratrem, Præſidem in Iudæam, qui rebus in regione Iudaica præſideret, cumq. decimum Principatus compleſſet annum, Agrippa Philippi tetrarchiam donauit: Bethaniã & Trachonitidem ſimul adiecit: Chalcidem verò ei abſtulit, cui quatuor præfuerat annis: nempe à morte patrui ſui Herodis regis, octauo anno Claudij: vt idem etiam Ruffinus habet in præcedentibus.

Ex illâ verò paraphrasi Ruffini videtur Orosius collegisse, Claudium eius tumultus occasione iussisse omnes Iudæos Româ discedere, & id quidem rectè, perinde scilicet ac Samaritanos. nã si ægrè pro Iudæis illud obtinui potuit, vt non indictâ causâ planè caderent: nihil miri si tanquã proui, tametsi non ad dandas, tamen ad facilè accipiendas occasiones seditionum & tumultuum, ipsi vnà cum Samaritanis vrbe expulsi sint. sed perperam Orosius secundum Ruffinum id factum retulisse videtur ad nonum annum Claudij, propter mentionem deinceps illatam decimi anni eiusdem, cum in Græco Iosephi exemplari etiam nunc legatur, τῶν δὲ ἀρχῆς διαδέκατον ἔτος ἤδη πεπληρωκώς *cum iam compleuisset duodecimum Principatus annum*; idq; prorsùs verum esse, adiectum tempus quo Agrippa iunior Chalcidi præfuisse dicitur, confirmet, ipseque adeò Orosius, significans Claudiũ haud ita multò posteà mortuum esse: multoq. magis Tacitus historicus, Annali duodecimo, eiusdem seditionis & tumultus historiam referens ad Fausti Sylliæ & Saluij Othonis consulatum, quo iniuit duodecimus ãnus Imperij Claudij

dij vicesimo quarto die Ianuarij. eodē autē āno idē scribit, *de Mathematicis Italiā pellēdis factum esse Senatusconsultum atrox & irritum*, ita vt verisimilius sit eodem tempore factum etiam edictum de Iudeis Roma pellēdis: quemadmodum superius sub finem libri secundi, Tiberio Imperāte retulerat simul *De sacris Aegyptijs Iudaicisq; pellendis factū Patrum consultum &c. vtq; ea superstitione infecti cederent Italia, nisi certam ante diem profanos ritus exuissent.*

Quo circa huic suppeditatur decima septima ratio confirmandæ sententiæ nostrę de tempore resurrectionis & ascensionis Christi: quatenus dilato Pauli aduentu Corinthum vsque post completum duodecimum annum Claudij, id est, vsque ad tertium vel quartū annū posterius quàm ab aliis statuitur: series actorum eius arguit vtique pari tempore differendam esse ipsius conuersionem, ac propterea etiam Christi resurrectionem & ascensionem: nempe à decimo octauo vel decimonono anno Imperij Tiberij vsq. ad vicesimum secundum.

CAP. XXV.

DEcima octaua notatio temporis completi ministerij resurrectionis & ascensionis Christi suppetit ex eo, quod eodem decimooctauo capite Actorū narrat Lucas, circa finem *anni & sex mensium commorationis Pauli Corinthi*, *Gallionem fuisse Proconsulem Achaiæ*: quem constat fuisse Anneū siue Iunium Gallionem fratrem Annei Senecæ, à Claudio Imperatore pulsi in exilium, ac postea reuocati intercessione Agrippinæ, & constituti præceptoris filij eius Domitij Neronis, deinceps Imperatoris, vt refert Tacitus, ferè initio duodecimi Annalium, his verbis. *At Agrippina ne malis tantum facinoribus nitesceret, veniam exilij pro Anneo Seneca, simul praturam impetrat, latum in publicum rata, ob claritudinem studiorum eius: vtque Domitij puericia tali magistro adolesceret & consilijs eiusdem ad spem dominationis veretur. quia Seneca fidus in Agrippinam memoria beneficij, & infensus Claudio, dolore iniuriæ credebatur.* Ita Tacitus. Dion autē in fine libri sexagesimi & postremi eorum qui supersunt historiæ scq. ad mortē Claudij,

dij, de vtroque fratrum, Gallione pariter ac Seneca ita scribit. *Agrippina aut ac Nero lugere se eum quē necauerant, simulauere: cuexeruntq; in cœlum, quem è conuiuio extulerant. Vnde Lucij Iuny Gallionis qui frater fuit Seneca, falsum extat dictum. Scripsit quidem Seneca etiam librum, cuius inscribitur titulo, quasi diceres de indigetamento siue honore diuino per fungum parto. Sed Gallionis iocum celebratur paucissimis verbis plurima comprehendens. quum enim eos qui in carcere necantur, magnis uncis in forū carnifices, ac inde in profluentem protrahere soliti essent, Claudium unco raptum in cœlum dixit.* Ita etiam Dion. Ex dicacibus autem illis vtriusque, Gallionis inquam pariter ac Senecæ scommatis iactatis in Claudium mortuum colligere licet, neutrum à vino affectum esse alicuius mométi beneficio: ideoque Gallioni Proconsulatum Achaię concessum esse demùm ad Senecæ fratris petitionem, à Nerone, primo anno Imperij sui, cuius initium fuit post quatuordecim ferè annos Claudij, decimo tertio die Octobris: quum ab eodem cōsul suffectus esset Calendis Nouembris eiusdem anni, vel quemadmodum alioqui fieri solitum,

em

& biennio antea Syllam & Vespasianum ijdem Calendis suffectos exhibent Fasti consulares, vel in locum alterius consulū demortui eodem anno sub mortem Claudij: veluti narrat & Dion eodem loco, & Tacitus sub finem duodecimi Annalium, *inter ostenta mortis Claudij habitum, sub idem tempus, omnium Magistratuum Romæ numerum, Consulum pariter ac cæterorum, fuisse vnius morte diminutum.*

Itaq; hinc suppeditatur decimaoctaua ratio confirmandæ sententiæ nostræ de tēpore resurrectionis & ascensionis Christi: quatenus dilato Pauli discessu Corintho, vsque ad primum annum Imperij Neronis ferè completum, vtique triennio vel quadriennio posteriùs quàm ab aliis statuitur, ex serie actorum eius, itidem ipsius conversionem, atque Christi ascensionem pari tempore posteriùs, ideoque hanc vicesimo secundo anno Tiberij statuendam esse consequens est.

Decimanona notatio temporis completi ministerij passionisque & resurrectionis & ascensionis Christi, habetur vicesimoquarto capite Actorum Apostolorum desinente, & sequentibus, vbi biennio expleto,

to, *Felix Iudæa Præses successorem accipiens Porcium Festum*, dicitur *reliquisse Paulum vinctum*, qui statim initio præfecturæ Festi, appellato Cæsare, Romam missus sit: completo nẽpe *anno vicesimo quinto post passionem Domini*, vt refert Hieronymus, lib. de Ecclesiasticis scriptoribus, in vita Pauli, cui eatenus suffragatur etiam epilogus Græcorum scholiorum Oecumenij in Acta Apostolorum. Enimuerò apparet biennium illud intelligendum esse, neque tempus præfecturæ Felicis, nisi pro διετίας scriptum à Luca & legendũ fuerit δικαιτίας: quia Paulus anteà eodem capite, eum *à multis annis Iudæorum iudicem* fuisse asserit: neque Imperij Neronis, vt putauit ibidem Hieronymus, cuius nulla vel ibi vel superiùs apud Lucam mentio: sed potius primum propositæ destinatæq, seu potiùs Spiritu prophetico præconceptæ Paulo profectionis Romam, sub discessum suum Epheso, qua de idem Lucas decimonono capite, sub tempus orti tumultus ibi, circa cultum Dianæ Ephesinæ, inquit: *His autem impletis, induxit in animum Paulus, peragratâ Macedoniâ & Achaiâ, proficisci Hierosolyma, dicens, Postquàm illic fuero,*

oportet me Romam etiam videre.

Neque enim videtur biennio captiuus detentus esse Cæsareæ, vel in Iudæa: tum quia nihil memoratur ab eo actum interea in libera custodia: tum quia furor accusatorum eius tanquam recente incendio adhuc flagrabat initio Festi: tum præcipue quia, quum ex contextu historiæ Actorum, capitibus vicesimo & sequētibus, Paulum instituisse postremam nauigationem Hierosolyma post festum Azymorum siue Paschatis captum q. esse Hierosolymis sub festum Pentecostes appareat: deinde intra annum, posteriorem ad Timotheum Epistolam ab eo scriptā esse Roma, ipsius argumentum, maximè verò conclusio, inde ab iis verbis, *Festina venire ad me cito, quia Demas me dereliquit*, &c. euidenter ostendit. nam quod Eusebius, Ecclesiasticæ historiæ libro secundo, capite vicesimo secundo, & secundum eum Hieronymus in vita Pauli innuunt, illam à Paulo scriptam esse post secundum reditum Romam: hunc Eusebius, tantummodò *fama siue sermoni vel rumori* (λόγῳ) acceptum refert, & argutiori quàm firmiori argumēto probare nititur, quod in eiusdem conclusione dica:

dicat Paulus, tunc cum scriberet, *Lucam solum fuisse secum, in priore verò defensione neminem adfuisse sibi, sed omnes se deseruisse*, ideoque ne Lucam quidem tunc secũ fuisse: vnde colligit, Paulum post biennium à primo aduentu Romam, reddita doctrinæ ratione, inde discedẽtem denuo reuersum esse ad prædicationis ministeriũ, ac deinde post aliquot annos secundo Romam rediisse, ibique scripta illa epistola, paulo postea martyrio consummatum esse. quasi vero Lucas etiam, post biennium captiuitatis peractum Romæ, Paulum deseruerit: aut quasi prior illa defensio Pauli fortè subito accessiti non potuerit peragi haud ita multo post primum aduentum Romam, interim dum Lucas alicubi extra vrbem, super Euangelij negotio à Paulo missus, abfuerit: aut deniq. quasi ipse Paulus non ita inferat eius mentionem tanquam nuper actæ, ideoque Timotheo nondum auditę: cuius famam ad Timotheum, haud dubiè quàm diligenter percontantem de actis Pauli, non peruenisse, non dico aliquot annorum, sed aliquam multorum mensium spatio, neutiquàm fuerit verisimile. Præterea verò idem illud subcontra-

rium videtur iis quæ ipse Eusebius proximè subiungit, de subsecuta propediem cæde Apostoli Iacobi fratris Domini, post mortem Festi Præsidis, capite vicesimotertio, & quidem circa octauum annum Imperij Neronis, capite vicesimoquarto: adeoque de consummatis initio persecutionis Neronianæ, (quod apud Tacitum, decimoquinto Annalium, constat factum esse ex incendio Vrbis Romæ, Lecanio Basso & Licinio Crasso consulibus, sub finem decimi anni Imperij eiusdem,) Pauli pariter ac Petri martyriis, capite vicesimo quinto: iisque ante cœptum, Floro Iudææ Præside, anno duodecimo Imperij Neronis, bellum Iudaicum, capite vicesimosexto & vltimo.

Porro autem Felicem obtinuisse præfecturam Iudææ, vsque ad annum decimum, Imperij autem Neronis septimum tendentem ad finem, proximeque præcedentem *Pallantis fratris sui mortem, Mario & Celso consulibus, potissimi libertorum, veneno, et creditum interfecti, quòd immensam pecuniam longa senecta detineret*, vt refert Tacitus, Annaliũ decimoquarto, præter Lucam, manifestè significat Iosephus, non modo

modò secundo libro de bello Iudaico, à capite duodecimo, & vicesimo libro Antiquitatum, sexto capite & deinceps, multo plura eius acta memorãs ab initio Imperij Neronis, quàm duorum insequentiũ Præsidum Festi & Albini, inde vsq; ad initium belli Iudaici, Gessio Floro Præside: sed etiam in vitæ suæ historia, præfecturã horum perbreuem, post illius diuturnam, apertè arguens ex eo, quod scribit se Romam profectum paulò post finem præfecturæ Felicis, vt aduocatus esset quibusdã popularibus suis quos Felix eò vinctos miserat, & expedite transacto ibi negotio per gratiam Poppææ, reuersum in patriã, deprehendisse iam tum cœptam rebellionem Iudæorum: quibus, vt præter ipsum testatur etiam Tacitus, quinto libro Historiarum, (idq. ipse quoq. silentio præteriens Festum & Albinum ob breuitatem præfecturæ vtriusque,) licet *Antonius Felix per omnem sæuitiam ac libidinem ius regium seruili ingenio exercuisset, duxisse tamen patientiæ vsque ad Gessium Florum procuratorem sub quo bellum ortum.*

Quinimo Iosephus eodem loco idem ipsũ directè confirmat, & quidem duplice

argumento: altero ætatis suæ, altero coniugij Poppææ cum Nerone, his verbis. *Matthæo patre natus ego sum primo anno Imperij Caij Cæsaris. &c. Iamq; vndeuiginti annos natus, ciuilem vitam aggressus sum, addictus Phariseorum placitis, proximè ad Stoicam apud Græcos sectam accedentibus. Post ãnum verò ætatis sextum supra vicesimum* μετ' εἰκοστὸν δὲ καὶ ἕκτον ἐνιαυτὸν, *Romam mihi proficisci contigit ob hanc causam. quo tempore Felix in Iudæa procurator erat, sacerdotes quosdam mihi familiares, vitos honestos & bonos, ob leuem quandam culpã vinctos Romam misit, acturos causam suam apud Cæsarem. quos vt aliquo pacto eriperi periculo, præsertim quum audirem ne in calamitate quidem constitutis curam pietatis excidisse, & ficubus, ac nucibus eos vitam sustẽtare: veni Romam, multis in mari exhaustis periculis. mersa enim nostra naui in medio mari Adriatico, circiter sexcenti per totam noctem notauimus, & diluculo demum Cyrenaicam nauem Deo fauente conspicati, octoginta ferme nostrum feliciore vsi natatu in eam recepti sumus. Ita seruatus Dicæarchiam, siue Puteolos vt Itali vocare malunt: familiaritatem contraxi cum Alituro mi-*

morum

morum auctore, qui Iudaeu genere, Neroni charus erat. per quē vbi Poppaea vxori Neronis innotuit, confestim per eam impetrauit absolutionem illis sacerdotibus: pariterque magnis donatus ab ea muneribus, in patriā reuersus sum. ibi deprehendi iam nouarum rerum studia gliscere, multosque spectare ad defectionem a Populo Romano. atque conabar seditiosos ad meliorem mentem reducere. &c. nec tamen quicquam profeci: tanta erat tum desperatorum insania. Ita Iosephus de se. Quem, cum natus sit primo anno Caij, consequens est attigisse vicesimum sextum ætatis annum medio octauo anno Neronis, Mario & Asinio cōsulibus. Cæterùm Poppæam Cornelius Tacitus, Annalium decimotertio, Neromi sub finē quarti anni Imperij, se tertium & Messalla consulibus primum innotuisse, atq. decimoquarto Annalium, eodem octauo demùm anno Imperij eius, ijdem Mario & Asinio consulibus, repudiata & necata legitima vxore Octauia Claudij filia, ipsi nupsisse refert.

Quocirca hinc suppeditatur decima nona ratio cōfirmandæ sententiæ nostræ, de tempore mortis resurrectionis & ascen-

sionis Christi: quandoquidem dilato initio præfecturæ Porcii Festi, quo tempore Paulus captiuus missus est Romam, vsque sub finem septimi anni Imperij Neronis saltem quadriennio posteriùs quàm ab aliis statuitur, vtique ex serie actorum eius consequens sit, itidem quadriennio differendam esse ipsius conuersionem, ac proinde Christi resurrectionem & ascensionem, nimirùm ab anno Imperij Tiberij decimo octauo vsque ad vicesimum secundum. Enimuero Cæsar Baronius in Annalibus dum Paulum tantùmodo biennio Neronis exacto Romam missum contendens illum Iosephi locum eludere conatur, adeo est absurdus, vt se, planè in inopiam rationis redactum ostendat: quippè qui cogatur istic exprobrare Iosepho ignorantiam non modo illarum rerum, de quibus ipse tum præsentibus tum vt maximè ad seipsum pertinentibus scriberet, verum etiam ætatis suæ idq. ad senis vsque annum: cui profecto nihil adderet poterat nisi vt ipsum etiam suũ ipsius nomen ignorare diceret.

Cap.

CAP. XXVI.

Vicesima notatio temporis completi ministerij & ascensionis Christi suppetit è tempore cædis Apostoli Iacobi fratris Domini. Quâ de Iosephus, Antiquitatum libro vicesimo, capite octauo, scribit in hæc verba. *Iunior autem Ananus, is quē nunc summum Pontificatum accepisse diximus, audax erat & ferox ingenio, secta Sadducæus, quod hominum genus apud Iudæos in iudicando est seuerissimum, vt ante docuimus. Talis igitur cum esset, tempus opportunum se nactum ratus, mortuo Festo, Albino adhuc agente in itinere, concilium iudicum aduocat: statutumque coram eo fratrem Iesu Christi Iacobum nomine, & vnà quosdam alios, reos impietatis peractos lapidandos tradidit, quod factum omnibus in ea ciuitate bonis & legum studiosis vehementer displicuit: missisque ad regem clàm nuncijs regauerunt, mandaret Anano nequid tale posthac ageret, nam ne nunc quidem recte ipsum quidam etiam Albino occurrentes venienti ab Alexandria, docuerunt eum, non licuisse Anano sine ipsius consensu aduocare concilium. horum verbis ille persuasus ira-*

cundè scripsit Pontifici, daturum sibi pœnas: & Agrippa rex eam ob causam, post tertium mensem, ablatum ab eo Pontificatum, Iesu Damnei filio concessit. Hæc Iosephus. Eusebius autem, Ecclesiasticæ historiæ libro secundo, capite vicesimo tertio, in hæc verba scribit. *Iudæi verò, quum Paulo post appellationem ad Cæsarem factam, Romam misso à Festo, spem perficiendarum insidiarum quas illi struxerant, amisissent: in Iacobum fratrem Domini vertuntur, cui Hierosolymis ab Apostolis Episcopalis sedes concredita fuerat. consimilia igitur aduersum hunc quoque præsumentes, statuunt eum in medium, exiguntque vt coram omni populo fidē Christi perneget. quum autem ille præter omnium sententiam, libera voce, ac maiore cum fiducia quàm expectassent, coram vniuersa multitudine Iesum filium esse Dei, Seruatorem ac Dominum nostrum confiteretur: testimonium veri amplius ferre non valentes, eò quòd iustissimus ab omnibus propter sublimitatem philosophiæ ac pietatis quam viuendo declarabat, crederetur, occidunt eum: opportunitatem ad id facinoris, tanquam ex interregni nacti, eò quod tum Festo in Iudæa mortuo, administratio eius prouinciæ præside ac procu-*

ratore destituta esset. Quo sit autem pacto occisus Iacobus, iam quidem antea adducta Clementis verba declararunt, qui illum pinna templi deiectum, ac fullonis ligneo instrumento percussum obiisse scripsit. Egesippus verò, qui primæ successionis Apostolorum tempore vixit, causam hanc diligentissimè in quinto commentario suo ad hunc modum describit, dicens. Ecclesiam gubernandam post Apostolos Iacobus frater Domini accepit, Iustus ab omnibus, inde a temporibus Domini ad nos usq. dictus. &c. historiam autem ita concludit. Vnus verò ex ijs qui aderant, ex fullonibus arrepto instrumento quo vestimenta excutiunt ac purgant, caput Iusti percussit. atque ita ille martyrium consummauit & sepelierunt eum in eodem loco. & columna eius iuxta Templum adhuc manet. hic testis & Iudæis & Gentibus verax fuit, quod Iesus sit Christus. & Vespasianus confestim ea vastata Iudæa captiuitati subiecit. Hæc fusè ab Egesippo dicta, consona sunt illis quæ Clemens scripsit. Erat autem hic Iacobus adeo clarus, & coram omnibus, iustitiæ gratia celebris: vt & Iudæorum sapientes tam subita post martyrium eius Hierosolymorum obsidionis causam, ob quam ista Iudæis accide-

runi, non esse aliunde putent, quàm ex scelere contra eum præsumpto. Iosephus quoque non detrectauit etiam hoc scripto testari, ubi his verbis loquitur. Hæc autem contigerunt Iudæis, vltionis gratia, propter Iacobum Iustum, qui frater erat Iesu, quem Christum nominant. Iudæi siquidem illum, quum iustissimus esset, occiderunt. Idem Iosephus etiam mortem eius in vigesimo Antiquitatum libro declarat, dicens: Cæsar autem audita Festi morte, Albinum Præsidem in Iudæam mittit. Iunior verò Ananus &c. Hæc Eusebius. Prius verò Iosephi testimonium ab eo productum, de excidio Hierosolymorum ob eædem Iacobi, habetur auctore Origene, primo libro contra Celsum. Epiphanius autem, contra hæresim septuagesimam octauam, dictam Antidicomarianitarum, ita scribit. *Moritur autem hic Iacobus frater Domini & filius Iosephi, in Hierosolymis, vbi vixit, post Seruatoris assumptionem annis plus minus viginti quatuor, anno ætatis suæ nonagesimo sexto.* Ita Epiphanius.

Itaque hinc suppeditatur vicesima ratio confirmandæ sententiæ nostræ de tempore completi ministerij & ascensionis Chri-

stiː

sti: quandoquidem appareat cædem Iacobi, initio præfecturæ Albini, summùm imò vix quadriennio anteuertisse initium exitialis illius belli Iudaici, cœpti secundo anno præfecturæ Flori, duodecimo autem Imperij Neronis, mense Artemisio siue Maio, vt scribit Iosephus sub finem vicesimi ac vltimi libri Antiquitatum, & secundi de bello Iudaico capite decimotertio desinente: ac propterea inchoato anno vicesimoquarto, non quidem post ascensionem siue assumptionem Seruatoris, vt loquitur Epiphanius, sed μετὰ τὴν Ἀναστασιν *post Apostolos*, nimirùm instituentes Hierosolymis, delecto ex seipsis vno & relicto ad residendum ibi Iacobo, segregare & separare se ad disseminandum Euangelium inter Gentes remotas, vt significat Egesippus: ideoque ab ascensione Christi ad hoc tempus cædis Iacobi transactos & cõpletos esse annos integros tantummodò vigintisex, quot omnino annos residentiæ Hierosolymis Iacobo ascribit Nicephorus Episcopus Constãtinopolitanus, in Chronographia sua; atque proinde triginta annos ab eadem ascensione Christi numerãdos esse, neutiquàm ad cædem Iacobi, tan-

quam factam septimo anno Neronis secundum Chronicon Eusebianum, (quanquam desinente, vtpote Olympiade ducetesima decima,) vt putat Hieronymus, capite tertio libri de Ecclesiasticis scriptoribus, sed ad insequēs, vindicaturum cædem Iacobi Apostoli fratris Christi pariter ac ipsius Christi, bellum Iudaicum anno duodecimo eiusdem Neronis: vnde consequens est, Christi cædem & resurrectionem & assumptionem in cœlum factam esse anno vicesimo secundo Imperij Tiberij.

Vicesima prima denique notatio temporis completi ministerij & ascensionis Christi, suppetit è tempore consummati martyrij siue passionis & cædis Apostolorum Petri & Pauli. Namque eos Romæ tunc agentes (vt quidem vulgo iam olim recepta est opinio) neci traditos esse, confestim simul atq. mota est à Nerone Imperatore contra Christianos persecutio, siue cruentæ sæuitiæ exercitiū, præterquā quod per se verisimile est, ipsos in primis correptos esse: Eusebius haud obscurè significat, in Chronico ita illius mentionem inferens: *Primus Nero super omnia scelera*

sua,

sua, etiam persecutionem in Christianos facit, in qua Petrus & Paulus gloriose Romæ occubuerunt. Penultimo autem capite secundi libri Ecclesiasticæ historiæ ita scribens: *Nero autem confirmato iam Imperio in impia studia prolapsus, contra ipsam pietatem quæ omnium Deo debetur, arma sumpsit. &c. Verum oportebat etiam hoc præter reliqua omnia de illo scribere, quod primus ex Imperatoribus, pietatis quæ erga Deũ est hostis est declaratus. Et huius quoque Romanu Tertullianus adhunc modu meminit, dicens. Legite commentarios vestros, illic reperietis, Neronem primum dogma hoc Romæ tum potissimum prosecutum esse, cum Oriente iam tota subacta, crudelis factus esset in omnes. de tali supplicij nostri auctore ac duce gloriamur. etenim qui illum nouit, intelligere potest, non fuisse dogma hoc, nisi magnum quoddam bonum esset, a Nerone condemnatum. Hic itaque hostis Dei, qua in re primus declaratus est, ad necem Apostolorum vsque deuabatur. quapropter & Paulus ab eo Romæ capite truncatus, & Petrus palo affixus scribuntur. & historia huic fidem facit, quod illic cœmiteria habentur, in quibus Petri & Pauli nuncupatio adhunc vsque diem obti-*

net. Ita Eusebius. Porro Neronis crudelitatem exarsisse in Christianos, occasione incendij Romæ, sub finem decimi anni Imperij eius, Lecanio Basso & Licinio Crasso consulibus scribit Tacitus, Annalium decimoquinto, his verbis. *Sequitur clades, fortè, an dolo Principis, incertum, nam vtrumq. auctores prodidere: sed omnibus quæ huic Vrbi per violentiam ignium acciderunt, grauior & atrocior.* Et postea. *Fuerunt qui annotarent decimoquarto Calendas Sextiles principium incendij huius ortum, quo & Senones captam Vrbem inflammauerunt.* Et posteà. *Sed non ope humana, non largitionibus Principis aut Deûm placamentis decedebat infamia, quin iussum incendium crederetur. Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, & quæsitissimis pœnis affecit, quos vulgus Christianos appellabat. &c. Igitur primò correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum, multitudo ingens, haud perinde in crimine incendij, quàm odio humani generis conuicti sunt. & pereuntibus addita ludibria, vt ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque vbi defecisset dies, in vsum nocturni luminis vrerentur. Horti*

sui

suos ei spectaculo Nero obtulerat, & Circense ludicrum edebat habitu aurigæ permixtus plebi, vel circulo insistens. vnde quanquam aduersus sontes & nouissima exempla meritos miseratio oriebatur: tanquam non vtilitate publicâ, sed in sæuitiam vnius absumerentur. Hæc Tacitus: de illâ Neronis sæuitiâ in Christianos Romæ ita loquens, tanquam vno continuo actu, ijsdem consulibus, perpetratâ.

Ex quibus apparet, Petrum & Paulum in primis, vt dictum est correptos ac neci traditos esse, circa initium vndecimi anni Imperij Neronis. Nam etiam Baronius, ad annum Domini sexagesimum nonum, vltrò improbat quod legitur in Chronico Eusebiano, & apud Hieronymum, in vita Petri atque Pauli, anno Neronis decimoquarto, perinde atque quod apud Epiphanium contra Carpocratitas hæresim vicesimam septimam, duodecimo Neronis anno interfectos esse: nec vllam satis idoneam rationem affert, cur his præferatur, quod ipse, Simeonis Metaphrastæ citationem aliorum auctorum prętẽdens, statuit occisos esse decimo tertio. Etenimuerò Eusebius, si modò ipse constet ipsi, vltimo

capite secundi libri Ecclesiasticæ historiæ Petri & Pauli neces statuit ante initium non modò belli Iudaici anno duodecimo Imperij Neronis, sed etiam præfecturæ Flori præcedente anno. ita enim scribit. *Rursus Iosephus, postquam plurima de totius gentis Iudaicæ calamitate, quæ hanc (*Christianorum persecutionem*) apprehenderat* (siue exceperat siue continuò insecuta erat) *disseruisset, ad verbum, cum multis aliis innumeros quoque qui apud Iudæos in honore fuerant, à Floro in ipsa Hierosolymorum ciuitate flagris cæsos ac cruci affixos esse narrat. Hunc autem Florum procuratorem Iudææ tum temporis fuisse dicit, quo iacta belli primordia, duodecimo Imperij Neronis anno augeri contingebat.* Ita Eusebius. Quod autem Metaphrastes ibidem citatus à Baronio, perinde ac Hieronymo coætaneus auctor ante scholia Oecumenij, vt & in eorum epilogo alius, Pauli atque Petri neces referunt anno passionis Dominicæ tricesimo sexto, pro quo Hieronymus habet tricesimo septimo: nempe annus ille videtur numeratus à consulatu Rubellij & Fusij Geminorum, atque anno decimoquinto Imperij Tiberij, tanquam vulgari olim

Epo-

Epocha Euãgelij: quam alij passionis Domini, vt Iulius Africanus apud Hieronymum, & Tertullianus, & Sulpicius, superiùs nominati, plerique autem baptismi Christi putarunt: quum reuera principij Euangelij à Ioanne Baptista promulgari cœpti fuerit. inde verò numeratus annus triceſimus ſextus, tanquam ad amuſſim, in Lecanij & Licinij conſulatum, Imperiiq. Neronis annum decimum deſinentem, vndecimum ineuntem quadrat.

Iam verò quod in Euſebij Chronico, & apud Hieronymum in vita Petri legitur, *Petrum Cathedram Sacerdotalem adeptum tenuiſſe & ſediſſe annis viginti quinque vſque ad mortem*: incertum verò quo loco, vtrum Antiochiæ, an Romæ, an alibi, itéq; à quo tempore, vtrum à poſtremo anno Tiberij, an à ſecundo Claudij, an quopiam alio: nimirum apparet eo annorum numero comprehendi vniuerſum eius in Apoſtolatu peregrinationis tempus, inde ab eo, quo Apoſtoli Hieroſolymis ſegregati ſunt ad diſſeminandum apud remotas Gẽtes Euangelium, ſub quartum & poſtremum annum Imperij Caij. quod confirmatur eo, quod Marcellinus Comes in

Chronico refert, *Indictione tertia, Philoxeno & Probo cõsulibus, anno Domini quingentesimo vicesimo quinto, Ioannem Papam Romanum venisse Constantinopolim, quadringentesimo octogesimo quinto sessionis Petri anno, ante festum Resurrectionis Domini.* Inde enim apparet primum appellatum sessionis seu potius discessionis illius annum conuenire vulgari anno Domini quadragesimo, ac quarto Imperij Caij. Itaque hinc suppeditatur denique vicesima prima ratio confirmandę sententiæ nostrę de tempore completi ministerij, & ascensionis Christi. quoniam hinc consequens est, ipsam quadriennio anteà, vt superius declaratum est, factam, conuenire medio vicesimo secundo anno Imperij Tiberij.

Hæ rationes æquo lectori satisfecerint ad confirmandam illam vulgo paradoxam, & quidem paulò duriore quorundam censura habitam, sententiam nostram, de Christi natali plusquam biennio, baptismo plusquam triennio, morte autem & resurrectione & ascensione integro quadriennio posterius, quàm vulgaris calculus statuit. Faxit Deus vt ad discussion

cutiendam caliginem errorum, & illustrandam veritatem rerum maioris momenti tendant.

Finis ~~Primi~~ Tractatus.

Hæc collocanda erant sub initium præcedentis Tractatus.

CAPVT I.

CHristum natum esse circa finem tricesimi tertij anni regni Herodis filij Antipatri, quadriennio ante mortem eius, testimonijs Epiphanij, Eusebij, & Sulpicij Seueri.

CAP. II.

Numerum triginta septem annorum, quibus Iosepho auctore regnasse fertur Herodes, ineundum esse ab euentu aliquo posteriore, quàm vel primùm creato ipso Rege, vel captis ab ipso Hierosolymis & interfecto Antigono, confirmatur ex annis ætatis eius, eodem auctore, quando primùm præfecturam adeptus, & quando mortuus est.

CAP. III.

Herodem mortuum esse ineunte vere Consulum Nerua & Metelli, nouennio posterius quàm retulit Iosephus, confirmatur è tempore relegati Archelai filij eius, decimo anno Principatus sui, collato Iosepho cum Strabone præcipuè, ac Tacito, & cum Dione.

CAP. IV.

Initium triginta septem annorum regni Herodis, quorum fine mortuus sit, petendum esse ab Actiacâ Cæsaris Octauiani victoriâ, con-

consulatu ipsius tertio & Messallæ Coruini, vtpote tempore restituti & confirmati Senatusconsulto regni ipsi, atq; interfecti Hyrcani, ad quem omne regnum Iudaicum potiore iure pertinuit.

Cap. V.

Initium ac finis triginta septem annorum regni Herodis modò restituta amplius confirmantur, eclipsi Lunæ à Iosepho relatâ sub mortem eius: itemque testimoniis Eusebij, Epiphanij, & Fastorum Græcorum, nec non Rufini veteris interpretis Iosephi de annis Tetrachiæ Philippi filij Herodis, atque etiam Eusebij & Sulpicij de annis Herodis Tetrarchæ post relegationem Archelai. Inde autem concluditur natum esse Christum consulatu Aelij Lamiæ & Seruilij Gemini.

Cap. VI.

Cæsarem Augustum omnino tres Census vniuersales egisse, ac tertium quidem paucis diebus ante mortem suam, primum autem confestim post sublatum Antonium reliquum Triumuirum: medium verò peregisse, Lustro condito, Aelio Cato & Sentio Saturnino cōsulibus, proximè insequentibus Aelium Lamiam & Seruilium Geminum: eumque fuisse primum extraordinarium, edicti occasione

instituendi noui constantis & perpetui reditus è singulis Romani Imperij prouinciis.

Cap. VII.

Medium Augusti Censum illum agi coptum esse vel consulatu Aelij Lamiæ & Seruilij Gemini, quo natus fuerit Christus, vel proximè præcedente Vinicij & Alsinij, colligitur è iustis Decenniorum internallis Imperij ab Augusto renouari soliti, ac inter Census ipsius: itemque è fragmentis Ancyrani monumenti.

Cap. VIII.

Eundem Censum quo natus sit Christus, edictum esse Vinicio & Alsinio consulibus, vtpote completo anno vicesimooctauo Cæsaris Octauiani appellati Augusti, iuxta Clementem Alexandrinum, labente autem vicesimonono eiusdem appellati Augusti, Iudæaque plenè subtributum redacta, pariter ac regni Herodis ad summum aucti, iuxta Epiphanium.

Cap. IX.

Quod Irenæus, Tertullianus, Hieronymus, aliique retulerint Christum natum quadragesimo primo anno Cæsaris Augusti, id ex vnica vulgari annorum Imperij eius epocha ante Actiacam victoriam instituta consulatu

Iulatu Claudij Pulchri & Norbani Flacci, conuenire in consulatum Aelij Lamiæ & Seruilij Gemini, eidemque conuenire tricesimum annum appellati Augusti, quo anno paulò aliter accepto alij natale Christi statuunt.

CAP. X.

Eusebiũ perperàm pro Christi natali anno Augusti quadragesimo primo accepisse quadragesimum secundum tanquam à consulatu Hirtij & Pansæ, eique applicuisse vicesimum octauum annum ab Actiaca victoria: eumque duplicem errorem illius redargui à seipso statuente in Chronico Christum natũ anno proximè precedente Tiberij adoptionem ab Augusto factam Aelio & Sentio cõsulibus. videri autem Chrysostomum quoque, tametsi aliter instituentem, adhunc nostrum calculum proximè accedere.

CAP. XI.

Cyrenium siue Quirinium Syriæ Præsidem duos in Syria ac Iudæa Census egisse, alterum regnante Herode, alterum tempore relegati Archelai, colligitur è Luca collato cum Iosepho: ac priorem quidem, quum post Lollium rector esset Caij Cæsaris nepotis & adoptiui filij Augusti in

Oriente, post ipsius Caij Cæsaris & Æmilij Pauli consulatum, nempe proximè insequentibus Vinicij & Alfinij, Lamiaque & Seruilij, è collatis Tacito, Velleio, Suetonio, & Dione.

Cap. XII.

Caium missum esse in Orientem post relegationem Iuliæ matris suæ, consulatumque Augusti decimumtertium & Syluani, haud amplius biennio ante consulatum Vinicij & Alfinij, colligitur ex ætate vtriusque & Iulia & Caij, eodem tempore. Quirinium etiam demùm post idem tempus, missum primùm in Ciliciam, deinde Lollij mortui loco constitutum esse Caij rectorem, Syriaque Præsidem, amplius confirmatur è Tacito, Suetonio, & Plinio: vtrique autem, quasi medio consulatu Lamiæ & Seruilij, sub Caij mortem, nondum finito censu, successorem missum esse Sitium Saturninum, iuxta Tertullianum.

Cap. XIII.

Stabilitam per orbem terrarum pacem, qua Christi natale contigisse refert post Hieronymum Orosius, & Iani portas tertia vice ab Augusto clausas fuisse demùm post redintegratam pacem cum Parthis & pacatam Armeniam, Caio Cæsare & Æmilio Paulo con-

consulibus, anno Romæ conditæ septingentesimo quinquagesimo secundo, iuxta Catonis & Liuij & Eusebij & aliorum, adeoque ipsius Orosij subinde supputationem, annoque demum deinceps insequente Vinicij & Alsinij consulum edictum Censum, altero autem Lamia & Seruilij natum Christum, eodemq; anno Augustum vetuisse appellari se Dominum, iuxta eundem Orosium cum Dione collatum.

Cap. XIV.

Magnum historiæ Iosephi defectum apparere in eo quod nullam mentionem habeat Syriaca præfectura Caij. quanquàm Iudeam præteruehentis, nedum Quirinij ante relegationem Archelai. Herodem autem postremũ iter instituisse Romam post discessum inde Caij nunquàm eo reuersi, colligitur ex relatis ante illud iter ab ipso Iosepho Asiatica præfectura Censorini, itemque Iuli Antonij, nec non Syriaca præfectura Titi siue Tity tempore dissidij Parthorum & Romanis, quem è Strabone, Tacito, Suetonio, Dione, adeoque ipso Iosepho, cum Velleio collatis, vtique colligitur fuisse decessorem Caij. inde autem cõsequens esse, non quidem Caium, vt retulit idem Iosephus, verum alium Augusti ex Iu-

lia filia sua & Agrippa nepotem atque adoptivum filium, nempe Agrippam Postumum, concilio Roma ob contentionem filiorū Herodis mortui habito interfuisse, quod etiam ipsum ex iisdem auctoribus confirmatur.

Cap. XV.

Eundem Iosephum manifesto errore pariter ac aliorum multorum errorum suorum argumento, Censum quo relegatus fuerit Archelaus, quem necesse est fuisse trium ab Augusto actorum postremum, imputasse anno trisceſimo septimo Actiaca victoriæ, qui convenit eidem anno Tribunitiæ potestatis Augusti, nouennio posteà. atq. apud eundem Iosephum nihilominùs deprehendi nonulla vestigia prioris cēsus in Iudæa acti opera Quirinij, vtpote absq. seditione à Iudæis tolerati, persuasione Ioazari Summi Sacerdotis ab Herode ante mortem constituti, & ab Archelao initio Principatus sui, Sacerdotio priuati.

Cap. XVI.

De tempestate anni qua natus sit Christus, eamque fuisse vernam colligitur ex antiquissima ea de re sententia apud Clementem Alexandrinum, ex circūstantiis historiæ apud Lucam, ex tertio homiliæ Cyrilli Alexandrini,

ni, & ex argumento ab Hebdomadicis vicibus viginti quatuor classium Sacerdotalium, quod adhibuit Iosephus Scaliger ad probandum, Christum natum fuisse autumno.

Cap. XVII.

Prima notatio temporis Baptismi, cœpti ex eo publici ministerij Christi: nempe post cœptum promulgari à Ioanne Baptista Euangelium, verna tempestate decimiquinti anni Imperij Tiberij, idque aliquot annis: quemadmodum ex circumstantijs historia Euangelica colligitur.

Cap. XVIII.

